

M. GEORGII LANI
HUNGARI
CAPTIVITAS PAPISTICA
Papistische Gefängnis.

Comt her zu mir alle die ihr mühselig und be-
laden seid. Matt. 11. 28

Apoc. II 10.
Fürchte dich für der Keinen
das du leiden wirst. Sihe
der Teuffel wird etliche von
euch ins Gefängnis werffen.

Matt. 16.
24.
Wil mir jemand nachfolge
der verleugne sich selbst
und nehme sein Creutz auf
sich und folge mir nach.



MARTYRUM ^{35.}

PROTECTORIS, CONSOLATORIS ET ASSERTORIS.

NARRATIO

HISTORICA,

Crudelissimæ & ab Hominum memoria nunquam auditæ

CAPTIVITATIS PAPISTICÆ,

necnon ex eadem

LIBERATIONIS MIRACULOSÆ,

M. GEORGI LANI, HUNG.

Rectoris olim Gymnasii Carponensis in Hungaria,

Qui postquam Anno *ἔτη 1574* M. DC. LXXIV. Posonium ad Jus citatus fuisset, ibique foedissimis Reverfalibus à Clero Romanensi obtrufis subscribere abnuisset, innocens mortis est condemnatus, dehinc cum compluribus Ecclesiarum utriusque cum Augustanæ, tum Helveticæ Confessionis Ministris, Mense Majo ad diversos carceres raptatus, in hisque integrum ferè Annum crudeliter vexatus, post Anno vertente 1675, Mense Martio ex Hungaria ad Triremes Hispanicas abductus, admirandâ verò Dei pronœâ in Regno Neapolitano manibus Persecutorum clam subductus, cæterisque ad Triremes Neapoli damnatis, solus duntaxat educus, excessit, evasit, erupit,

Secundùm circumstantias temporis & loci bonâ fide concinnata, multisque Cordatorum Virorum votis expetita, nunc luci publicæ exposita ab ipsomet
AUCTORE.

ANNO M. DC. LXXVI.

DEO
IN HONOREM ET GLORIAM,

Quiq; hæc duo semper promota esse volunt cupiuntq;
Non Hypocritis, Nec Pseudo-Evangelicis,

Sed γυνσίως

VERIS, SINCERIS ET ZELOSIS,

*Cujuscunque sint Status, Conditionis, Ordinis, Gradus & Eminentia,
utriusque Sexus, cum Virilis tum Fœminei*

Majorennibus & Minorennibus,

Nobilibus & Ignobilibus,

Divitibus & Pauperibus,

Summis & Imis

Omnibus & Singulis,

CHRISTI ASSECLIS
CRUCISQVE AMATORIBUS (a)

FIDELIBUS,

IN EXEMPLUM ET MEMORIAM

Hanc Historicam Narrationem sacram vult

AUTOR.

(a) Phil. 3, 18. Multi enim ambulant, quos sæpè dicebam vobis (nunc autem & flens dico) Inimicos crucis Christi. Quorum finis interitus, quorum Deus venter est & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. (Rom. 16, 18.) Declinate ab illis. Nam hujusmodi Domino nostro JESU CHRISTO non serviunt sed suo ipsorum Ventri.



Προίμιον.

AD LECTOREM

Benevolum & Candidum, Christo Suæqve Ec-
clesiæ fidum, nec non Evangelicæ Veritatis ergo affli-
ctis super contritione Josephi compassivum.

Amos 6. 7.

Non dubito, Lector Benevole, quin legeris aut forte an-
lectum audiveris *Supplicem* quendam *Libellum ad Regi-*
am Cesareamq; Maj. Anno superiore 1674. Mense De-
cembri porrectum nomine LXXI. Ministrorum Ecclesiæ
utriusq; Confessionis Augustanæ & Helveticæ Captivo-
rum in Hungaria, quorum & Legatus Sveciæ Extraordinarius, *Co-*
mes Benedictus Oxenstirn suis in Propositionibus ad Aulam Imperato-
riam exhibitis meminerat. Cùm autem non minùs in harum Resolu-
tione, quàm & in Scripto quodam peculiari, cujus hic titulus est:
Extractus brevis & verus &c. Anno 1675. Tyrnaviæ Mense Martio
(eo plane temporis articulo, cum nos miseri ob Christum Captivi ex Hun-
gariâ educti, ad *Triremes Hispanicas Neapolim duceremur pelleremurq;*)
sub ementito nomine cujusdam Secretarii Hungariæ edito, contra om-
nem verecundiæ speciem asseritur, Hungaricarum Ecclesiarum Mi-
nistros non *Religionis* sed *Rebellionis* causâ esse condemnatos, eosqve
legitimè partim e Regno proscriptos, partim ad carceres detrusos, dein
Captivorû numerum non in tantum se extendere, nec eos tam crudeli-
ter tractari, idqve genus alia, acceptum fero Deo meo humiliter, qui
me ex tanto incendio horrendæ hujus Romanensium persecutionis,
admirandâ suâ Providentiâ, non secùs ac titionem quendam eripuerit,
inq; hanc Libertatem asseruerit, gratissimo eundem veneratus pe-
ctore pro hocce, quicquid hujus est beneficii, non tam mihi, quàm af-
flictæ Ecclesiæ commodo facti, munere, quò videlicet universi ipsa
etiam *Posteritas*, si qua futura erit, hisce de rebus facinoribusve Neo-
Catholicorum eò melius instrui queant. Nihil me hic movent verba

*Supplex Li-
bellus LXXI.
Ministorû
Captivorû
in Hung.*

*Scriptum
mendax Je-
suiticum.*

*Propria
laudis con-
temptus.*

Themistii: Οὐδὲν ἔτιως ἀκυσμα φορτικόν, ὡς ὀκαστ' αὐτῆ ἔπανθη.

P R Æ F A T I O.

narratio tam odiosa est, quàm sui ipsius Encomium. Sicut nec vetus illud proverbium: *Propria laus sordet.* Cui & sapientissimus Regum *Prov. 27. 2.* Salomon subscribere videtur, cum hanc vivendi formam normamque prudenti præscribit Viro, sic inqviens: *Alius te laudet & non os tuum: extraneus & non labiatua.* Nam utut hæc maximum habeant pondus, non tamen his verborum adagiis omnis simpliciter improbatur tolliturve priorum factorum divulgatio. Dari enim casus ejusmodi, ubi sua laudibus digna facta proprio quis referre ore queat, clarorum virorum approbat calculus. Ipse Geyerus in aureo suo Commentario super his verbis, Salomonæis sic suam exprimit mentem: *Hoc ipso silentium injungitur cuivis, ne extra evidentem necessitatis casum, ubi non periclitatur vel fama propria, vel proximi non subest scandalum, officiiq; hæctenus administrati contemptus, vel divina quid decedit glorie aut veritati, quicquam suarum promat laudum, nisi vel stultitiæ arrogantiaeve sibi velit inurere maculam, tacitumq; audientium adversus se concitare odium.* Tempus est tamen, pergit idem, ubi proprias quoq; licet recensere dotes atq; facta, modò id fiat modestè, cunctis in laudem Nominis Dei tendentibus, exemplo Pauli aut ipsius Christi. Sic *Joh. 8.* *2. Cor. 11.* Martinus Del Rio in Adagial. Sacris Part. 2. adag. 252. rejectâ ex adductis Salomonis verbis propriâ sui jactantiâ, hæc subjicit verba: *Non nego licere aliquando seipsum laudare, sed cum Necessitas cogit. Facile enim quis in suis meritis decipitur & difficile est conditiones necessarias concurrere. Ideò non temere se quis huic committat periculo, nisi vel necessaria sui defensio, vel proximi Exemplum, aut Gratitude erga Deum contestanda id postulet.*

Causarum impulsivarum recensio.

1. Cor. 15. 9.

Quare non popularis aliqua auræ captatio (lubens enim fateor cum D. Paulo me fuisse & esse τὸν ἐλάχιστον τῶν παθόντων) ad hanc me impulit Relationem historicam, sed triplex potissimum causa, honesti videlicet nostri Nominis & Famæ contra criminantium calumnias defensio, imitandi item Exempli omnibus veris Christi Cultoribus extensio, Grati denique animi mei erga Deum, vitæ meæ Assertorem, propensio.

Prima causa hujus Narrationis: Innocentia declaratio.

Apparebit sane universo orbi Christiano ex brevi hac Narratione mea, quàm innocenter, quàm indignè præterque omne suum meritum & culpam hodie vexentur, crucientur, mortificentur Hungaricarum Ecclesiarum Ministri Scholarumq; Moderatores, quibus à Clero Romano fictum Rebellionis crimen falsò hæctenus imputatum est, non secus

secus ac olim Prophetis, Christo, Apostolis & eorum sequacibus. *Amos 7. 13.*
 Hæc enim legimus de *Amos* Propheta: *Amasias sacerdos in Bethel misit ad Jeroböam Regem Israelis hujusmodi mandatis: Amos conjurationem fecit contra te in medio domus Israelis, nec poterit tellus omnes sermones ejus ferre.* Eodem plane exemplo dixit aliquando Rex *Achab* ad *Eliam* Prophetam: *Tunc es, qui conturbas Israel?* Ita *Judei* olim objecerunt Christo, quod commovisset plebem incipiens à Galilea usq; ad *Hierusalem*, quodq; tributum dare *Cæsari* prohibuerit. *1. Reg. 18. 17.*
Luc. 23. 25.
Act. 24. 5.
 Quid autem *Tertullus* orator apud *Felicem* Proconsulem de *D. Paulo*? Invenimus, inquit, hunc hominem pestiferum, & concitantem seditiones. Ministerium quod attinet Hungaricum, rectè cum *Tertulliano* lib. ad *Scapul. Crimen Rebellionis*
impræsentiarum dixerit: *Christianus* (*Lutheranus*) nullius est hostis, ne- *pastoribus imputatio*
dum IMPERATORIS, quem sciens à Deo constitui, necesse est, ut & ipsum diligat & revereatur & honoret & salvum velit cum toto ROMANO IMPERIO, quousq; seculum stabit. Hinc nulla me transversum agit tergiversatio, nulla animi fluctuantis dubitatio, quin producā in apricum inauditæ Tyrannidis furorem, assertumq;ve eam dum Spiritus hos reget artus, Nostram Innocentiam, quippe quam insons à Præfulum Romanensium turba solius duntaxat Religionis causâ cum cæteris meis LXXI. Sympalæstritis in tam fœtidos maximèq;ve indignos Carceres detrusus, ibi admodum miserè habitus & deniq;ve ubi iam vix ossa corporibus adhæsisent, ad *Tiremes Hispanorum*, prole dolor! condemnatus fuerim. Prætextus eq;videm hujus tam barbari processus, fuit detestanda illa (sed ficta) *Rebellio* in Hungaria, cujus omnes Evangelicæ confessionis Pastores ac Ludimagistri cum suis incusabantur, verum nullo veritatis fundamento, uti mox ex præsentî hocce Scripto, indignam Personæ meæ ideam repræsentante, latis superq;ve constabit, adeò ut de cæterorum quoq;ve innocentia sufficiens ferri queat judicium. Bonâ conscientia amabò ad tantas injuriarum iliades tacendum quis censeat? Quis veritatem tam turpiter opprimi sinat? Inexcusabilem certè me coram DEO totaq;ve Christianitatis cohorte silentium redderet meum, si tam abjectè hac de re sentiam. Annon *Apostoli* suos carceres, suas *Prophete* adversitates, *Paulus* sua vincula & pericula infinita styli depinxerunt penicillo? neq;ve tamen id eis vitio versum, nedum *Crimini læsæ Maj.* nisi fortean ab insanis & maleferiatis veritatis osoribus. Porro veritatis hujus & Innocentiæ meæ tabulas soli expositurus meridiano, Deum testor, me nihil quicquam ad-

Cribratio
Hūgarica.

Eccles. 2. 3.

versus Sacratissimæ Suæ Majestatis summam Authoritatem (Unctus enim Domini subjectissimâ semper veneratione suspiciendus est, licet eo sæpius mendaciorum architecti indignissimè abutantur) unicè ob admirandam operum divinorum Sublimitatem, necnon futuram Posteritatem scripturum, cujus maximè interest scire, quàm pauci Constantium zelozorumq̄ve, contra quam multi hypocritarum & vertumnorum inter Evangelicos tempore hujus Cribrationis Hungaricæ reperti fuerint. Non hic me tædet judicii ab Ethnico lati Poëta, qui sic alibi canit:

Scilicet ut *fulvum* spectatur in ignibus aurum

Tempore sic duro est conspicienda *fides*.

Si nihil infesti durus vidisset *Ulysses*

Penelope felix sed sine laude foret.

Hæctora quis nosset, felix si Troja fuisset,

Publica virtutis per mala facta via est.

Ars tua *Typhe* jacet, si non sit in æquore fluctus,

Si valeant homines, ars tua *Phœbe* jacet.

Quæ latet inq̄ve bonis cessat non cognita rebus,

Apparet virtus arguiturq̄ malis.

Scilicet adversis probitas exercita rebus

Tristi materiam tempore laudis habet.

Ovidius
lib. 1. *Trist.*
Eleg. 4. &
lib. 2. *Trist.*
Eleg. 6. &
lib. 4. *E-*
leg. 4.

Secunda
causa im-
pulsiva E-
xēpli imi-
tatio.

Act. 5. 40.

Habebunt dein in hocce scripto levidensi ipsa Posteritas, quod *imittentur*, quippè Fatis ita ferentibus necnon vocatione Dei jubente & volente nullas periculorum, nullas vinculorum, non carcerum, non deniq̄ ipsius mortis subterfugere calamitates, acerbitates, & duras molestias, quin potius toto gestire pectore *gandereq̄ super eo, si digni reperiantur pro Christi nomine* αἰτιασθῆναι cum Apostolis, quorum Animositatem hoc Elogio sacra exornat pagina: Et quum advocassent Apostolos, cæsis præceperunt, ne loquerentur in nomine Jesu, & dimiserunt eos. Et illi quidem ibant gaudentes à conspectu Concilii, quod digni habiti essent, ut pro nomine ejus contumeliâ afficerentur. Et quotidie in templo & in singulis domibus **NON CESSABANT DOCERE** & annunciare *Jesum Christum*. Quare non hoc *Temeritatis* est (ut jam infruniti quidam inconscientiosi & malevoli Pseudofratres de meis Sympalæstritis omni laude dignissimis contra suæ dictamen conscientia admodum sinistrè judicant, sic afflictis majorem addentes afflictionem) *pati velle pro Christo, sed est donum καταβαῖνον διὰ τῆ πατρὸς τῶν*

Jac. 1. 17.

P R Æ F A T I O.

τῶν Φώτων, exemplo ipsius Pauli, qui non modo vinciri sed & mori *Act. 22. 13.*
Phil. 1. 29. paratus erat ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος τοῦ κυρίου Ἰησοῦ. Hinc ad suos Philip-
 penses in Schola Crucis exercitatos non immeritò hæc cedro digna ver-
 ba perscripsit: *Vobis, inquam, datum est τὸ ὑπερχεισθαι non solum in*
cum CREDERE, sed & PRO EO PATI. Sanè si ad nutum &
 voluntatem Tyrannorum, Apostolici cum suis Affeclis fidelibus, in pri-
 mitiva Ecclesia, quocunq; modo ac ratione se accommodare voluissent
 (veritatis enim hostis ἀσπονδῶς, quippe *μυριοτεχνίτης* non eandem
 semper observat incautis imponendi artem fraudemvè) nullos certe
 eadem Ecclesia à primo recuperatæ Salutis exordio ad præsens usq;ve
 seculum vidisset Martyres: neq;ve Lux Evangelii hoc in mundo thea-
 tro, tanta passim sensisset incrementa. Ast ubi constantes, & τετραγῶ-
 νοι veritatis Evangelicæ Confessores Assertoresq;ve, vel latum ungvem
 Persecutoribus suis cedere haud voluissent, Corporis eorum παθήμα-
 τα magis, quàm oris disertī μαθήματα & ῥήματα semper Ecclesiæ au-
 xille pomœria, quis à veritate alienus ausit ire inficias? Hinc enatum
 est vulgatum illud distichon:

Sanguine fundata est Ecclesia, sanguine cœpit,

Sanguine succrevit, sanguine finis erit.

Approbat id suo calculo Paulus, dum gerens in se vincula Christi, hæc
 suis in memoriam reduc̄ta esse voluit verba Philippæis: *Scire autem*
Vos volo, Fratres, quia quæ circa me sunt (vincula) magis ad profectum
Evangelii venerunt. Itaq; vincula mea manifesta in Christo fieri in toto
Prætorio & cæteris omnibus. Et plures Fratrum in Domino, fretos vin-
culis meis abundantius AUDERE IMPAVIDE Dei verbum lo-
qui. Et quid multis opus est? Exemplo nobis sit misera nimium-
 q;ve afflictâ nostra Patria HUNGARIA, in qua licet multos (quod
 dolendum) egerit ad fœdam Apostasiam præcipites, detestanda quo-
 rundam Pastorum Inconstantia, necnon animi levitas, qui tam turpi
 se & suos commaculatos dedere, turpium Reversalium subscriptione,
 adeoq;ve defectione totali, non parùm tamen in erigendis vacillan-
 tium animis, infractam paucorum Constantiam hætenus profecisse,
 extra omnem dubitationis aleam positum est, adeò ut ea nobis
 non sugillanda, verùm ad Cœlos usq;ve laudibus summis evehenda
 veniat. *Tria facere Theologum* asserit Megalander noster Lutherus,
 quæ sunt *Oratio, Meditatio & Tentatio.* Priora eq;videm duo pacis
 tempore in Hungaria à plurimis observata fuisse vidimus, postremum

*Tria faci-
 unt Theolo-
 gum. Lu-
 therus in
 præfat. Cō-*

mentar.
sup. Psalm.
Conf. VVel-
lerg in An-
tidot. ten-
tat.

autem in præfenti hujusce Persecutionis tempestate à paucissimis, cum tamen omnes & singuli in extremo etiam vitæ positi discrimine id memori revolvere mente debuissent, quod Christus præcipit: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus &c.* Gentilis sed Christianâ voce canit

Poeta:

Turpe est doctori, cum culpa redarguit ipsum.

Et alius quidam:

Sic agitur censura, & sic exempla parantur;

Cum Judex alios quod monet, ipse facit.

Non sufficit sane bonum esse Theologum in mera theoria (talis enim

Matt. 4. 3. Speculativa Theologia competit etiam Epicuræis, imò ipsi Diabolo), sed

Jac. 2. 19. Practica, quæ illi multis præstat parasangis, accedat oportet. Quid

juvat etenim longâ temporum intercapedine, ad ravim usque pro suggestu detonare, populum ad constantiam monere, adhortari, aliorum

vitiâ taxare, culpâre, punire, bona ad imitandum exempla propone-

re, quid inquam, juvat longâ annorum serie Ecclesiam Domini unâ

manu ædificare, si unico temporis momento per animi tui levitatem

omne id, quod exstruxisti, altera manu destruas? Hinc Poeta: *Omne*

bonum quod habes, contaminat unica labes. Non immeritò igitur cen-

soria redarguit virgula Apostolus hypocritas Judæos, inquam: *Qui*

alterum doces, te ipsum non doces. *Qui prædicas, non furandum, furaris:*

Qui dicis non mœchandum, mœcharis, qui lege gloriaris, transgres-

sione legis, Deum ledis. Hæc optimè pensi habens idem Apostolus sic

alibi de se loquitur: *Ne quo modo fiat, ut cum aliis prædicarim, ipse re-*

probatus efficiar. Et alio loco: *Licet prophetavero, & sciam omnia my-*

steria, omnemq; cognitionem & habuero omnem fidem, ut & montes trans-

feram, Charitatem autem non habeam, nihil sum. Eleganter igitur hac

de materia etiam Poetarum quidam:

Hos ego Doctores soleo laudare, docenda

Qui faciunt plus, quam qui facienda docent.

Me quod concernit, D. Paulum imitatus, ut indignum me vexillife-

ri mei Jesu Christi Athletam reputem, cum eo tamen non abs re

impræsentiarum gloriabor. Sed in quo? Non in vanis hujus mundi

dignitatibus, sed in variis fati mei asperitatibus & afflictionibus. Et

bonum est mihi mori potius, quam ut gloriationem hanc meam aliquis in-

anem reddat. *Χάριτι θεοῦ τὸ θεῶν ὁ εἶμι* ringente etiam ipsa Invi-

diâ, quæ virtutis semper individuus comes esse solet. Quid animo-

sus

Matt. 10. 28

Cato.

Ovidius.

Matt. 4. 3.

Jac. 2. 19.

Rom. 2. 21.

1. Cor. 9. ult.

1. Cor. 13. 2.

2. Cor. 12. 5.

1. Cor. 9. 15.

Eccl. 15. 10.


1. Samuel.

17. 28.

sus olim ille Juvenis, ab ovium grege ad Regis Saulis castra profectus, populo Israel præstiterit beneficii; nulli non hominum notum est. Ast quibus eum excepit verbis Frater suus germanus minus germanus? *Audiens autem Eliab* (sic sonant verba sacri codicis) *frater ejus major natu, illum loquentem cum viris, succensuit irâ in Davidem & dixit: Cur huc descendisti? Ego novi arrogantiam tuam, malitiamq; cordis tui.* *Exod. 2. 11. 13.* Lubens hic prætereo alia virtutum admirandarum exempla in florente juventa *Mosis, Josephi, Danielis, Macchabeorum, Timothei*, aliorumque conspicuarum, qui tamen nihil minus, quam ab invidiæ jaculis immunes fuere. *Gen. 37. 11. Histor. de Susan. 2. Mach. 7. 2 1. Tim. 4. 12*

Quare susque deque habitis Momi obtreccionibus, operi me tandem proposito accingo, sic Cordatorum votis juxta promissum responsurus, (ne fortean frustraneâ spe à me lactati videantur) necnon *Grati mei erga Deum animi tesseram* post me relicturus. Omne enim id, quod in teneræ vitæ meæ curriculo cum prosperi tum adversi mihi contigit, omne, inquam, id soli D E O acceptum fero, porrò Eum *Regio cum Psalte* hunc in modum invocans: *Tertia Causa, Gratiarum actio.*

Domine Deus meus, in te speravi, serva me ab omnibus persequen- *Psal. 7. 2.*
tibus me, & eripe me. Ne forte rapiat, ut Leo animam meam,
laceret & non sit, qui eruat. Domine Deus meus, si feci istud, si est ini-
quitas in manibus meis, si retribui pacifice degenti mecum, malum, quæ-
erui hostem meum gratis. Persequatur inimicus animam meam,
& comprehendat & conculcet in terra vitam meam, & glori-
am meam in pulverem collocet. Selah.



S E C T I O I.

PROPARRASCAPHASTICA,
In qua enarrantur Captivitatis veluti Prodro-
mi & Antesignani.

§. 1.

Variorum
Morborum
infestatio



Studiorum
in Hunga-
ria promo-
tio.

Antequam de mea ordiar Narrationem misera Captivitate, operæ pretium esse duxi, breviter & carptim referre ea, quæ ab incunabulis mihi obtigere, cum Vitæ tum studiorum meorum obstacula. *Natus* in Hungaria, Anno Salutis restauratæ quadragesimo Sexto, post millesimum & Sexcentimum, variis mox ab ineunte ætate affligebar *egritudinum* generibus, ipso etiam morbo caduco seu Herculeo, cujus vehementiâ non rarò aquæ & ignis exponebar periculis. Anno ætatis meæ plus minus octavo, Genitore orbis mittebar à dilecta Matre (quæ duodecimo abhinc anno, tempore depopulationis Turcicæ in Hungaria, nimirum à Scythis fauciata, crudeli vitam mortis genere clausit) ad Scholas studiorum causâ, quibus diligentem navans operam, primùm quidem in *Patria Tepla*, post verò diversis in locis, *Trenchinii* puta, *Szakolza*, *Olassii*, *Varallii*, *Cibinii*, & *Leutschovia* à puero ad annum usque sextum & decimum ex oculis identidem rubescentibus non modò, sed & albuginem in pupilla contrahentibus tantopere laborabam, ut sæpiùs curationis oculorum causâ domum remeantem, Amici à proposito Studiorum meorum cursu me abstrahere, aliudquæ vitæ genus, Scholis nuntio dato, obtrudere conati fuerint, me interim Dei auxilium etiam cum lacrymis implorante, quò dignum me reputet faciatquæ organon, olim Scholis aut Ecclesiæ suæ profuturum. Exaudivit Deus supplices preces meas, cum elapsis tandem septem vel octo annis pristinam mihi, licet admodum debilitatam restitueret oculorum sanitatem. Is etiam Deus Patronorum mihi suppeditavit copiam, ex quibus uti honoris, ita meæ in eos perpetuæ Gratitude ergò, tres nominare mihi liceat, nempe *M. Christianum Seelmann* / jam *ἐπίσκοπος* Doctorem, olim Pastorem Primarium *Leutschovia* in Hungaria, *Andream* item *Sartorium* Contubernii *Trenchinien*sis apud *Cassenses* Seniore, & denicquæ *Matthæum Michalovitz*, Diaconum *Trenchinien*sem: quorum singuli mea non modò Trivialia sed & Academica studia pro virili sua promoverunt.

§. 2. Pa-

Studiorum
Academi-
corum ab-
solutio.

§. 2. Patrimonii etenim, quod Turca atrox depopulatus erat, Anno 1662. destitutus subsidio, horum Patronorum operâ factum, est, ut *Witteberge* duos Annos Præceptoribus potissimum *Calovio* & *Deutschmanno* in Theologicis, in Philosophicis verò *M. Johanne Schwarzio* & *M. Gottfrido Wogtio* usus, studiis impenderim. Ast quoniam, ut vulgò dici solet: *Deficiente pecu-deficit omne-nia*, pertenuis admodum erat studiorum meorum promotio, in animum induxeram, Septentrionales petere plagas, ibiq; posthabito dulcis meæ Patriæ solo, nactq; aliquam officii provinciam, studiorum fructus decerpere. Nec fefellit spes avidum. Pertingentem etenim ad mare usque Balticum, blando me *Rostochium* ejusq; *Academia* non tantum excipere vultu, sed & Pædagogicæ munere, primùm quidem apud *David Brande* Urbis Senatorem primarium, post verò in territorio Urbi proximè adjacente, apud *Ulricum Rabe* Equitem Megapolitanum exornare haud est indignata. Horum hospitem tanta in me erat animi propensio multitudiq; beneficiorum, ut non amplius me ullum Patriæ tangeret desiderium. Ast quid fit? Vincula me manebant in Patria, ea propter non diuturna exoticis in oris data mihi commorandi facultas. Nam vix semestri abiit, cum ecce corporis mei tota superficies tanta afficeretur exulceratione, ut à calce pedis ad summum usque capitis fastigium nihil sani in ea conspexisses, interiore corporis habitudine facta interim tecta que manente. Et licet varia remediorum adhiberentur genera, indies tamen malum hoc majora sumebat incrementa, adeò ut non obstante Patronorum meorum summâ in me affectione, superante tamen aliorum mei averfatione, conceptam prius animo, coactus sim mutare sententiam.

Morbi mi-
rabilis de-
scriptio.

In Patriam

ex Germa-
nia reditus.

§. 3. Valedicendo igitur Benefactoribus meis, quos inter *Græpius* S. S. Theol. L. & apud *Rostochienses* P. P. præcipuus fuit, plus quàm invitus patrios repetere lares animo meo constitui, eo planè Anno 1670. cum in *Hungaria* ob *Rebelliosos* (ut dicitur) tumultus, omnia sursum deorsum moverentur, cujus rei fama *Wratislaviæ* *Silesiorum* ad aures demùm pervenerat meas. Hoc percussus rumore multùm hæsitare cœperam, utrum pedem figere, an porrò progredi, vel deniq; rursum eò, unde huc appuleram, regredi debeam. Hæc tandem stetit sententia, ut *Reculis*, quibus instructus eram *Wratislaviæ* relictis, ipse in explorando Patriæ statu, an ita se vel secus habeat, periculum facere. Jam eo temporis articulo *Exercitus* *Cæsareus* *Capitaneus* *Generalissimus* cognomento *Sporck* omnes Civitates Superioris & Inferioris

rioris Hungariæ occupaverat, omniaque Arcium & Propugnaculorum loca milite præfidiario communierat, nemine ei ullibi resistente. Mulcebantur etenim tum temporis miris verborum blandimentis lenociniisque Regnicolarum animi, neque Religionis turbande aut infestande, multo minus mutande & proscribende ulla mentio fiebat, quinimò Jurjurando sub persona suæ Majestatis dictus militiae Generalis omnibus passim stipulatâ promittebat manu, modò spontè se dedant, præfidiâque militis Cæsareani recipiant, nihil in Libero Religionis ipsorum Exercitio turbatum iri. Data fides pollicitis, sed reciprocè minus servata. Hæc ubi, inquam, facta fuissent, in Patriam reducem Amici inter maximas turbarum procellas tempestatesque hilari me excipiunt vultu, de promotione mei ad aliquod functionis Scholasticæ genus non parum solliciti. Factâ igitur diversis in locis mei commendatione, eodem temporis puncto binas accepi literas Vocatorias ipsis Feriis D. Andreæ sacris, ad Scholastica munia in Civitatibus Szakolza & Carponæ obeunda.

Carponam
ad munus
Scholasticum
vocatio.

§. 4. Misso Szakolzensibus nuncio, Carponensibus eram ad stipulatus, qui datis tunc nudius tertius aliis literis etiam Vocatoriis ad quendam Gymnasii Epperiensis Studiosum vel potius Præceptorem Classis Syntacticæ, nomine Johannem Laurenti Velkopolensem, simul ac me per famam ex Germania rediisse accepissent, illicò missum jam Tabellarium medio ex itinere revocari curant. Non sine singulari Dei hoc factum esse providentia me agnoscere oportet. Nam si aliis in locis Hungariæ, quæ mihi tum commendabantur, vocationis meæ prælegissem munia, ipsius etiam Professionis Poëseos in laudato Collegio Epperiensi, brevi post in Exilium pulsus, solum me vertere oportuisset, cum tamen Carponæ, utut inter incudem & malleum constituto tres annos & quod excurrat, degere, & munus Provinciæ Scholasticæ secundum obire, divino mihi concessum sit munere, ad ipsum usque Citationis tertiæ terminum in Jus Posoniense Delegatorio-Extraordinarium. Clerus enim Romanus passim per Hungariam milite ei Cæsareano operam subministrante, Temples & Scholas Evangelicis, quæ vim (quemadmodum Neosolvi accidit, ubi Jesuitæ nocte intempestâ scalis ad murum positis templum invaserunt, idque vigilibus vix animadvertentibus occuparunt) quæ fraudem & dolum eripiebat, antequam Citationes Pastorum instituerentur.

Periculorum
Carponæ

§. 5. Hic subnectere compendiosam periculorum relationem, quæ post violentam Templi Carponensis per Croätas factam ademptio-

nem, ut & *Pastorum* olim ejusdem Ecclesiae è Regno Hungariae *Migratio* ^{obvenientium recessio, utpote} *tionem*, mihi obtigere, non abs re fuerit. Utut Templum Pontificiorum cesserit in potestatem, urgente id ipsum non exigua utriusque Germanicae & Croatica militiae manu, *Schola* tamen fidei meae & curae concredita salvis auspiciis inter tot Harpyarum huic etiam praedae valde inhiantium, mihique varias insidias struentium, technas & molimina, *inconcussa inviolataque*, *perstitit*, ubi Altissimi Numinis tutus praesidio, non *in Schola* duntaxat mei obibam officii partes, duas Classes primanorum & secundanorum (uti vocant) altero Collegarum tum aegrotante instituendo, sed & *in Catu Ecclesiae* peculiarem quandam in domum pro cultibus Sacris congregari solito identidem concionando.

§. 6. Porro cum discedentibus Carpona Pastoribus comes ^{A militum Praefecto intentata transgressio;} itineris adjunctus Schemnitium usque profectus fuisset, magno vitae exponebar discrimini. In hac enim Civitate montana *militiae Germanicae Praefectus* una stipatus cohorte, facto in Currus migrantium nocte intempesta impetu, eos arresto detinere, omnibusque facultatibus quas vehebant, exuere intendebat. Quo casu illi summum in modum consternati, de supera Diversorii contignatione me ad currus descendere jubent exploratum, quid rerum agatur in tanto hocce tumultu. Ast Praefectus simulac me accedentem conspiceretur, unum ex Pastoribus migrantibus ratus, *strictum* meo apponit illico pectori *gladium*, idem jam jam transgressurus, nisi audita sui voce, quam protulerat (Du feyerischer Pfaff) per quandam Civium ibi tum adstantium ab intentato ictu revocatus fuisset, qui eidem extemplo suggestit: *Non est is Praedicans.* Hujus tandem sedata ira est allatis & ostensis *Salvi conductus patentibus* à Camera Posoniensi datis.

§. 7. Postridie hujus diei, cum Carponam rursus remeassem, cultumque Sacrum hactenus, partim ob praesentiam Pastorum abiturentium, partim ob loci, in quo perageretur, defectum intermissum, ^{Militis Croatiae infestatio & invasio.} cum tota Ecclesia Adjutore DEO auspiciatus fuisset, ecce nobile *par Fratrum Rasorum ordinis Francisci* post preces peractas, populo domos suas repetente & redeunte, adjuncta sibi magna Croatarum caterva, Scholasticam discipulorum meorum turbam stentoreo clamore & tumultu edito invasit, quibus passim per plateas Civitatis dispersis, me circumdare quidem conabantur, manus tamen in me injicere haud valebant, eò quod retrogressus ad Curiae portam defendentibus me, Patronis quibusdam, impetumque militis retundentibus, in limine ipsius Ianuae Persecutoribus restiti, facta solenni protestatione, inquires, si quid hocce ex tumultu mali subortum fuerit

fuerit, id ne mihi adscribatur meisve Dominis Patronis. *Nullum enim, hætenus vidimus Diploma Regium* uti nuper in ademptione Templi, ita nec post, aut in præsentî, quod nos publico Religionis prohibeat exercitio. Illi auditâ hac mea protestatione mox me missum faciunt, additis tantum magnis comminationibus, si imposterum tale quid cum Ecclesia tentavero.

*Officii inter
rupti ad-
ministratio*

§. 8. Verum enimverò minis eorundem suscipi deque habitis, instantibus & urgentibus Sacrum hocce Patronis negotium, in cœpto Cultuum divinorum proposito feliciter processum est ringente vel ipsa Invidiâ, à mense Septembri Anni 1673. ad Martium usque Anni proximè sequentis, ubi *Generalissima* facta est *citatio* omnium Ecclesiæ Ministrorum, necnon Scholæ Rectorum unâ cum Discipulis, ex tota Hungaria ad Jus Posoniense Extraordinarium, plerisque in locis potissimum Civitatum Montanarum, postquam Pastores discessissent, Ecclesiis non tantum sed & Scholis subito dispersis.

*Triplex in
Hungaria
Pastorum
ad Jus cita-
tio, nempe
Tyrnavien-
sis.*

§. 9. Sciendum autem est, *tribus Vicibus institutam fuisse Citationem Pastorum Status Evangelici* in Hungaria. *Prima* fuit *Tyrnaviensis*, in qua *Solis Posoniensibus* tam Ecclesiasticis, quam Politicis dicam scripserunt Romanenses Prælati eosque *innocentes mortis condemnarunt*, post diuturnos denique *carceres*, quos perpeffi erant, datis à se quibusdam *Reversalibus*, uno verò vel duobus ad apostasiam prolabantibus, liberos tandem dimittebant. Hæc accidit Anno 1672. Mensibus Majo, Junio & seqq. prout pluribus videre est in quodam scripto, quod

*Prima Po-
soniensis*

Reimundus Rimandus inscribitur. *Alter* *citatio* fuit *generalior Posoniensis*, quâ arceslebantur in Jus Posoniense tres Aug. Conf. Superintendentes, cum nonnullis Pastoribus & Senioribus trium Comitatum Soliensis, Turocensis & Liptoviensis omiffis Scholarum Moderatoribus. Hæc facta est anno 1673. Mense Septembri, in qua omnes & singuli, quotquot tùm Posonii comparuerant, ante ipsam Sententiæ pronunciationem *turpissimis & fœdissimis Reversalibus Papisticis* subscribentes, Ecclesiæ, quæ Christo in Regno Hungariæ hætenus colligebatur, non parùm jacturæ fecerunt. *Tertia & Ultima* fuit *omnium*

Alter *Po-
sonensis.*

Generalissima, quâ non tantum ipsi Pastores, sed & omnes Scholarum Rectores unâ cum suis Collegis atque Discipulis, ubi nec Tyronibus duodecim annos natis parcebatur, ad Jus Posoniense Delegatorio-Extraordinarium citabantur. Et hoc adversitatis maximæ fulmen non minùs nostrates, quam *Helveticarum Ecclesiarum Ministros* Ludiqve magistros

stros feriebat, ubi ubi modò quempiam latere per totam Hungariam, & in ipsis locis Turcæ tributariis, Clero constabat. In hujus autem Citationis ut & priorum processu juridico nulla *Religionis*, solius duntaxat *Rebellionis mentio* fiebat, nec quicquam aliud à citatis postulabatur, quàm *Sola Reversalium subscriptio*, quæ obtentâ, omnium res salva habebatur. Reversalium autem formula duplex proponebatur, data cuilibet optione, alterutram pro lubitu eligendi, Illæ sic sonant:

I. COPIA REVERSALIUM, Pro Migrantibus.

Nos infra scripti hisce nostris recognoscimus, quòd cum sua Majestas, Dominus noster Clementissimus, ob prægnantissimas & maximas rationes, in quibus versaretur Nomen & Persona nostra, in summo Negotio, id est, causa Criminis læsæ Majestatis, quod plurima producta & propriæ oris fassiones in se continerent, Judicia Extraordinaria, contra Nos Prædicantes utriusque Religionis, celebrari demandasset, nosque super eadem juxta leges Patriæ, debito modo de jure inchoatum, continuatum, pro & contra ex allegationibus sufficienter disputatum, calculatum & conclusum extitisset, solaque sententiæ pronuntiatio defuisset; Idcirco in maximam sumendo & ulteriorem considerationem Sortes nostras, neque ulterius etiam coram toto mundo in ulteriorem incidamus suspicionem, periculumque infamiae insperatæ, supplicavimus, institimusque humilimè, magnisque precibus apud Inclytam Sedem Tabulamque Regiam instare non desimus, ne præfata contra Nos promulganda sententia promulgetur. Et quia humilimam nostram instantiam, nosque omnes & singulos, benigno clementique oculo respiciendo, præfata Excelsa Sedes Regiæque Tabula præfata sententiam impromulgatam reliquit, ob hoc Nos ad subsequentes infra denotatas punctorum conditiones, spontè & voluntariè, in recompensam Clementiæ Sedis obligavimus & obligamus, nimirum quod Nos subscripti cum omnibus Nostris rebus, supellectili & familia à die 6. Mensis Octobris computando, intra Bisquindenam, ex Regno Hungariæ & partibus eidem annexis, penes Salvi Conductus seu Liberi Passus literas, ab Excelsa Sede & Regia Tabula extradandas, migrare, exire & nunquam redire velimus & teneamur. Quod si verò hanc nostram *spontaneam & voluntariam* Emigrationem aliquo prætextu, vel palliando colore prolongare vellemus, vel omni-

nò intermitteremus, ipso facto, sine ulteriore exceptione aut juris revisione, Notam Infidelitatis incurramus & subsumus. In quorum omnium observationem, præsentibus nostras Literas declaratorias Reversionales Excelsæ Sedis Regiæque Tabulæ, subscriptione Nominum nostrorum & Sigillorum appensione dedimus & damus. Datum Pofonii die 6. Octobr. Anno 1673.

II. COPIA REVERSALIUM, Pro Manentibus.

NOs infra scripti hisce nostris recognoscimus, quod cum sua Majestas, Dominus noster clementissimus, ob prægnantissimas & maximas rationes, in quibus versaretur Nomen & Persona nostra, in summo Negotio, id est, causa Criminis &c. (vid. supra usque ad ea verba) obligavimus & obligamus, nimirum ex quo Nos hic in Regno, ut incolæ & commembra Comitatus, non verò ut in Sacerdotio Lutheranæ Personæ, ad instar aliorum Regni indigenarum permanere desideraremus, & ab Excelsa sede Regiæque Tabula permissi sumus, ex eo pristinum Ministerium, quo hucusque etiam contra suam Majestatem abusi sumus, & publicam Regni tranquillitatem impedire præsumpseramus, nullo unquam tempore exercerbimus, verum in privato sese detinendo, nec clam nec publice, nec per scriptitationes ullo in loco, domibus, subterraneis, abditis foraminibus, sub quocumque prætextu, Prædicantis officium geremus, aut quoquo modo in directionem animarum nosmet ingeremus, sed neque clam, vel aliquo sub colore correspondentias cum Exteris aut Interis seditiosis, aut verò Seditionem molientibus contra suam Majestatem, Fidem Catholicam statumque Catholicum, quælibet machinamenta & conspirationes fovebimus, exercerbimus: & si quæ talia videremus vel inaudiremus, illicò Magistratibus locorum vel Supremis Comitibus, aut Vice-Comitibus intimare obligati sumus. Alioquin si deprehensi fuerimus in uno vel altero puncto, illicò acquisitioni Fisci, hoc est Notæ Infidelitatis subjacebimus. In quorum omnium observationem præsentibus nostras Literas declaratorias Reversionales, Excelsæ Sedis Regiæque Tabulæ, subscriptione Nominum nostrorum & sigillorum appensione dedimus & damus. Datum Pofonii die 6. Octobr. Anno 1673.

Postquam verò hi Domi manentes his Reversalibus sua dedissent nomina, compluribus in locis brevi post ad apostasiam urgebantur

bantur, hac Confessionis formulâ iisdem ad publicâ recitandum præscriptâ & proposita à Patribus Jesuitis:

CONFESSIO NOVORUM CATHOLICORUM In Hungaria.

I.

Fatemur & Confitemur, nos singulari curâ Supremi nostri Magistratus Spiritualis & Secularis, diligentia & ope Dominorum Patrum S. J. ab Hæretica via & fide ad Veram Catholico-Romanam salvificam unice deductos esse. Eamque libere, sponte omni remotâ coactione amplexos, ore nostro & lingvâ universo mundo apertè ad notitiam velle dare.

2. Confitemur Papam Romanum caput esse Ecclesiæ, nec errare posse.

3. Confitemur & certi sumus, Papam Romanum Vicarium esse Christi plenariamque habere potestatem, omnibus hominibus pro voluntate sua, peccata remittendi, retinendi, in infernum detrudendi, excommunicandi que.

4. Confitemur quicquid Papa instituerit novi, sive intra, sive extra Scripturam, quicquid etiam demandaverit, esse verum, divinum & salvificum, ideoque à Laicis majoris æstimari debere DEI vivi præceptis.

5. Confitemur Papam Sanctissimum ab omnibus honore divino honorari debere, majori cum genuflexione, ipsi Christo debita.

6. Confitemur & asserimus, Papam ab omnibus, tanquam Patrem Sanctissimum in omnibus esse audiendum sine omni exceptione, ejus institutis dirigentibus. Contrafacientes, sine omni misericordia, tales Hæreticos, non solum igne tollendos, sed & cum corpore & anima Inferno tradendos.

7. Confitemur Lectionem Scripturæ Sacræ ortum esse hæresium & sectarum, scaturiginemque blasphemiarum.

8. Confitemur, mortuos Sanctos & Sanctas invocare, imagines eorum honorare, coram eis genua incurvare, ad eos peregrinari, Vestire, lumina eis accendere, bonum, pium, sanctum, utile & salutare, esse.

9. Confitemur unumquemque Sacerdotem multò majorem esse Deiparâ B. Virgine Mariâ, quæ semel solùm peperit Christum, nec amplius parit. Sacerdos autem Romanus non solùm dum vult, sed & quandocunqve vult, offert & facit Christum, imò & creatum absument.

10. Confitemur pro mortuis Missas celebrare, Eleemosynas distribuere, orare, utile ac salutare esse.

11. Confitemur Papam Romanum habere potestatem Scripturam immutandi, pro voluntate augendi & minuendi sua.

12. Confitemur animas post mortem in Purgatorio purgari, ac Missas Sacerdotum eis auxilium cum liberatione esse.

13. Confitemur sub unâ specie Eucharistiam percipere, bonum & salutare, sub utraqve hæreticum & damnabile esse.

14. Confitemur & asserimus, hos qui sub una specie utuntur, totum Christum cum carne & sanguine, cum Deitate & ossibus, uti vel percipere, qui verò sub utraqve, solo modo pane frui & vesci.

15. Confitemur septem esse vera & realia Sacramenta.

16. Confitemur Deum in Imaginibus honorari ac per eas ab hominibus agnosci.

17. Confitemur Mariam Beatam Virginem, majori honore dignam, ab Angelis & Hominibus, ipso Christo, Filio Dei.

18. Confitemur Beatam Virginem Mariam esse Reginam Cœli, simulqve cum Filio regnare, cui Filium omnia ad voluntatem ejus facere debere.

19. Confitemur ossa Sanctorum magnam habere virtutem, unde ab hominibus honoranda esse, ipsisqve Sacella extruenda.

20. Confitemur Doctrinam Romanam esse Catholicam, puram, divinam, salvificam, antiquam & veram; Evangelicam autem [à qua benevolè recedimus] falsam, erroneam, blasphemam, maledictam, hæreticam, damnosam, seditiosam, impiam, excogitam ac fictam. Cum itaqve in totum & plenariè, in omnibus explanationibus, Religio Romana sub una specie bona sit & salutaris; ideò maledicimus omnibus illis, qui nos in hæresi adversa & impia sub Utraqve erudierunt. Maledictos pronunciamus Patentes nostros, in Fide illa Hæretica nos educantes, maledicimus quoque & illis, qui nobis Romano-Catholicam fidem in dubium vocarunt. Sicut & DUOBUS illis, qui nobis maledicto illo calice subservierunt. Imò nobis ipsis maledicimus, maledictosqve nos pronunciamus, eò quod ex maledicto illo calice hæretico (ex quo nobis bibere non debebat) participavimus.

21. Confitemur Scripturam Sanctam esse imperfectam & literarum mortuam, quousque à Summo Pontifice, ea non fuerit explicata & Laicis ad Legendum concessa.

22. Confitemur unam Missam Sacerdotis Romani utiliorem, esse Centum & pluribus Concionibus Evangelicorum. Ex eo maledicimus libris illis, quos legimus, doctrinam illam hæreticam & blasphemam comprehendentibus, Maledictionem etiam superinducimus super omnia opera nostra (in fide illa hæreticâ existendo) patrata, ne in extremo die coram Deo nobis aliquid mereantur. Hæc omnia ex candido pectore facimus, asserentes Romanam Ecclesiam in his & similibus articulis esse verissimam, cum solenni Hæreticæ illius doctrinæ, coram Vobis R. D. Pater, coram Vobis Viri honorati, Matronæ honoratæ, Juvenes & Virgines præsentis, Renunciatione. Juramus insuper nunquam amplius nos ad hæreticam illam sub Utraque (etiam si licitum esset vel fuerit) vita durante conversuros. Juramus etiam donec una gutta sanguinis in corpore nostro extiterit, doctrinam maledictam illam Evangelicam, nos omnimode, clam & aperte, violenter & fraudulenter, verbo & facto persecuturos, ense quoque non excluso.

Ultimum juramus (immutatione fors in statu seculari vel spiritali subsequutura) nos coram Deo Angelis & Vobis præsentibus, neque metu aut gratiâ, ab hac salvificâ Romanâ Catholica Ecclesia & divinâ discessuros unquam & ad Hæresin Evangelicam maledictam redituros & reversuros vel amplexuros, &c.

Istorum Neo-Catholicorum præcipuus Præcipuus & Antesignanus fuit

ELIAS GRESNER Pastor Primarius Civitatis Montano-NEOSOLIENSIS.

S E C T I O II.

PARASCEPHASTICA,

In qua recensetur ipsius Captivitatis miserandæ Tenor & Duratio

§. 10.



Actâ hac ultima citatione, utut Rebellionis (si ita dicenda est) tempore longè ab Hungaria abfuerim, & non secus ac bimulus infans criminis læsæ Majestatis reus extiterim, tamen comparui juxtâ præfixum Citationis

*Judicium
Posoniense
ultima
citationis.*

tionis terminum die 5. Mensis Martii Anni ab Orbe redempto septuagesimi quarti, qui est supra millesimum & sexcentimum *Posonii*, quæ est metropolis interioris Hungariæ, & stiti me coram Tribunali Regiæ Tabulæ, ibi *Judicium* cum reliquis Pastoribus Scholarumque Rectoribus *Personale* & *Particulare speciatim* contra quemlibet erigendum auditurus & percepturus. *Actione* autem *Juridici processus*, quatuor hebdomadarum spatio (à quinta Mensis Martii ad 4. usque Aprilis) durantis non in specie, sed duntaxat in genere (ut *Acta Judiciorum Posoniensium* probant) primum contra omnes Pastores utriusque Confessionis, post verò contra *Rectores presentes* & *absentes* habitâ, nullius licet *Criminis læsæ Majestatis*, nedum Rebellionis vel perduellionis convictus (idem esto *Judicium* de reliquis, quorum plus minus quadringenti, soli Pastores & *Ludimagistri*, exceptis eorum discipulis, & Collegis, comparentes tum præstò aderant) ne unico Teste verò & genuino in apricum producto, nisi quibusdam *Literis supposititiis defuncti* quondam *Vitnidiy* Hungariæ Nobilis, (unicè ob hanc causam, quod locum dare propositis *Reversalibus*, exemplo priorum minus voluerim) unâ cum cæteris universis coram Excelsæ sedis *Judicio* stantibus, nullâ *Innocentiæ* meæ & aliorum ratione habitâ, *Condemnatorie mortis Sententiæ* subjacere me oportuit, cujus summa hæc erat:

§. II. Post longam *Totius Actionis Juridicæ* contra *Prædicantes* utriusque Confessionis revisionem, calculationem atque ruminacionem, judicialiter factam, tandem comperto *Crimine læsæ Majestatis* deliberatum est ab Excelsa sede, ut siquidem præsentis R. C. & J. Dei & hominum timore posthabito, legumque severitate ac authoritate Magistratum contemptâ, *Fidei ad Fidelitatis ipsorum*, quâ vel *Suæ Majestati Cæs. & Sacro Ejus Diademati*, vel ipsi *Summo Deo* illibate observandâ tenebantur, immemores, à rectâ linea & methodo rationis officiique sui deviantes & longè recedentes, non solum *Regi suo* & *Domino suo* clementissimo infideles extitissent, sed & *Sanctos* demortuos honore suo privassent; *B. Virginem Mariam* suis uxoribus sceleratis equiparassent, *S. Romanam Ecclesiam Catholicam* contempssissent, in specie verò *Paulus Regius Cibiniensis* *Prædicans* venerandum *Sacramentum* conculcare pedibus suis non exhorruisset, *Turcam* pro auxilio requisivissent, *Tumultusque* *Varios* rebelliosos passim hinc inde excitassent: Ideò tanquam *Criminis læsæ Divinæ & Cæsareæ Majestatis Rei* convicti & condemnati, poena *Criminali* afficientur, juxta leges *Regni & Patriæ*, in amissione omnium *Bonorum* atque ipsius *Capitis*, ac proinde ad
suppli-

supplicium deducti, amputatis prius manibus pedibusq̄, aut vivi comburantur, aut verò lapidibus obruantur. Prælectâ hac injustâ nullisq̄ve testibus legitimis comprobatâ satis aliàs prolixâ deliberationis sententiâ, (hic enim tantummodò sensum, summam & rerum puncta, non autem Verba formalia observare atq̄ve annotare licuit, severâ factâ prohibitione de Actis Judiciorum conscribendis & annotandis, quod aliàs semper in usu & more positum erat & etiamnum est) Fiscus Regius hanc subnectebat Postulationem:

§. 12. Procurator Domini A. eâ, quâ par est humanitate, auditâ & acceptâ Judiciariâ deliberatione pronunciatâ, eidem in omnibus punctis, clausulis & articulis firmiter inherens, ulterius ex vi reservate suæ Facultatis, quod siquidem de Jure & consuetudine Regni Juridiciariæ deliberationis, legitima quoque Executio terminari & compleri soleret atq̄ deberet, cum alioquin frustra fierent Judicia, nisi ea quæ legitimè edocentur, Juridiciariæ quoque Executioni demandentur; ob hoc peteret Idem Domini A. Procurator, Executionem superinde impendi. Priusquam tamen id commode in effectum deduci & institui posset, cuperet Convictos J. personaliter detineri & statim in compedes conjici, si tantum tot & tante (NB. Hic ArchiEpiscopus Fiscum Regium corrigebat in præsentia omnium Judicum & nostri, inq̄viens, non tantæ, non, sed tanti, quia compes est generis Masculini) tam citò invenirentur, quod personarum requireret pluralitas, aut eos tantum incarcerari, & tanquam Reos Criminis læsæ Majestatis judicialiter condemnatos arctissime detineri.

Verum huic instantiæ locus datus non est, nisi post, longo tempore.

§. 13. Postulabant autem à nobis *indefinenter*, uti singulis Judiciorum habitorem diebus, sic & post latam hanc sententiam Archi-^{Postulata} Episcopus Strigoniensis Georgius Szelepreny cum Episcopo Neostadi-^{Cleri Ro-} ensi in Austria Leopoldo Colonicz, qui Præsidem Camerae agit in Hun-^{mani.} garia nihil aliud, nisi ut pari quoque modo, veluti priores illi, Reverfalibus, iisq̄ve jam *rectius modificatis*, si velimus domum remittis subscriberemus. Verum enimvero facere id *conscientia* cum Innocentia juncta nos prohibuit. Quis enim est tam bardus tamq̄ ab omni ratione alienus, ut se *propriâ oris fassione*, ejus cujus sibi minimè conscius est, reum reddere velit, imò (quod majus & auditu maximè horrendum) *nominis sui chirographo per sigillum munito confirmare, se Rebellem fuisse, officio abusum esse, populum ad seditionem concitasse, ideoq̄* ^{Turpitudō} *de jure quidem in capite & bonis, quæ pœna est Rebellium, de facto* ^{Reversali-} *tamen* ^{um.}

tamen ex clementi gratia S. M. in renunciatione duntaxat officiorum spontanea, ne amplius Spirituales, sed Seculares, hoc est, non Lutherani sed Papistæ fiant, mulctandum? quæ & alia ejus farinae puncta turpissima his in Reverfalibus videre est. Quare maluimus nos, licet pauci & omnium minimi, coram nostris quoque aliàs abjectissimi habitus corporis Vincula externa subire, quam tormina conscientie interna sentire. Porro ne fortean pro Contumacibus vel temerariis æstimaremur, multis supplicavimus precibus ArchiEpiscopo & quorum intererat, pro libera nostri dimissione, spondentes eidem, nos relictis & desertis officiis atque sedibus nostris miserum Exilii onus subituros, verum ejus rei copiam sine subscriptione habere nequivimus.

Causa postulata subscriptionis.

§. 14. Scitum porro sit, cur Clerus hanc tantopere urserit Subscriptionem. Crediderim non alio fine id eum factitasse, quam Anno Christi 1622. tempore Persecutionis Bohemice, his similia quoque fiebant. Præscripta fuit, refert Autor Historiæ de Persec. Bohem. cap. 87. p. 288. Confessionis formula, quâ omnes prorsus Rebellionis culpam fateri & deprecari jubebantur, quod fraudulenter fuisse actum post patuit. Cum enim Germania Principes Casarem, ne ob paucorum delictum omnes indiscriminatum puniret, admonerent, id responsi datum: Non puniri, nisi qui propria Confessione convicti sint. Hæc ille. Eadem certè ludebatur fabula hætenus in Hungaria. Clerus quippe Romanus objecta in Judicio Pastoribus Innocentibus crimina, veris ac genuinis legitimisq; Testibus haud probare potuit, hinc unice ad Reverfalium eosdem urfit Subscriptionem, quâ obtentâ apud nonnullos Inconstantes, mox secuta est citra omnem tumultum, totius Status Evangelici in Hungaria, (qui Clero semper fides erat in oculis) Eversio, quam is fictæ Rebellionis fuco, nunc apud exteras Gentes colorare satagit. Abstrusissimum sanè iniquitatis mysterium hoc est. Nam templa sine diplomate Regio (quod Rex Clementissimus prorsus denegare visus est) per vim eripere non minus difficile, quam periculosum fuit, citatione autem concessâ, necnon Subscriptionem apud Primipilares extortâ, eheu! quam brevi id amisimus tempore, quod longo nostri Majores lucrati sunt labore, magno sudore & inestimabili cruore.

Modus tradendi condemnatos inusitatus.

§. 15. Post latam mortis sententiam omnes Condemnati tantum abfuit, ut vel mox ad carceres, vel ad supplicia raperemur, ut potius liberè (quod est citrà omnem Legum & Juris observatam consuetudinem) octo integris septimanis, à quarta Aprilis, (quâ sententia contra

nos lata est), ad quintam & nonnulli ad ultimam usque diem Mensis Maji, per plateas non minus Urbis, Posonienſis, quam suburbii ejusdem indies exspatiaremur, ubi Jesuitarum Patrum nobis hinc inde occurrentium sæpius audire licuit: *Cur non fugitis? Quid vultis? Quid expectatis?* & id genus alia verba. Ast fugere neque integrum, neque consultum fuit. Illud ob arrestum, quo detinebamur, hoc ob suspicionem. Post pronunciatam etenim sententiam subnecebat a Fisco Regio ut & Causarum Secretario hæc deliberatio: *Convicti* (ita his Judicibus de facto non de jure loqui placuit) & *condemnati*, omnes & singuli continebunt se juxta deliberationem Excelsæ Sedis intra Spheram & ambitum Civitatis, usque ad tempus Executionis future, sub pœna capitis de facto sumenda, si quis secus fecerit. Fuga autem si nobis consulere voluissemus, magno expositi discrimini nosmet ipsos suspectos reddidissimus. Porro Archiepiscopus omnem lapidem movere non dubitabat, blandimentis & terroribus subscriptionem nobis etiam condemnatis identidem svadendo, dum partim præcipuos, alternis ad se vicibus accerseret, partim per Procuratores rem dictam urgeret, quam & apud multos obtinuit. Nam Die XIII. Aprilis egit idem Archiepiscopus, mediante nostro Advocato, cui nomen erat Franciscus Nagy, cum Pastoribus H. C. addictis, causa Subscriptionis ab iisdem obtinendæ, sed negativa ad eundem resolutione relatâ, nimium eis succensere visus est, inqviens, *hos homines oportet esse duræ admodum cervicis, dum spernunt meam gratiam sibi oblatam. Resolutio enim Suae Majestatis non alia jam est, quam ut idem fiat, quod Nos volumus & concludimus.* Eadem forte vel postera die conveniebant Judices Excelsæ Sedis, non jam in Curia Archiepiscopali ubi Judicia sunt habita, sed in Basilica seu Gubernio, causa nostræ, ut ferebatur, absolutionis seu dimissionis: verum adveniens eò Archiepiscopus, mox *litteras Reversionales* Assessoribus ostentabat, *non possunt*, inqviens, *Mei domini, isti homines dimitti.* Nam quotidie me eorum multi accedunt, *Reversalibus* his subscribentes, quorum jam magnus est Catalogus. Sic in cassum omnis noster labor abiit.

§. 16. Die Mensis Aprilis decima & septimâ accesseramus ego & alter Procuratorum seu Advocatorum nostrorum, *Ferdinandus Heisler*, adjunctis nobis secundum reliquorum electionem *Martino Ochernial Assakertensi* & *Samuele Niteletio Uybanensi* Aug. Conf. *Sollicitatio apud Archiepiscopum pro necdimissione.*

nec non *Jacobo Czury* H. C. Lofonicensi Pastoribus eundem
Archiepiscopum circa horam undecimam, qui eo temporis puncto ex
lecto modò surgebat. Is facta ab advocato Condemnatorum nomi-
ne pro libera dimissione Instantiâ hunc in modum respondebat: *Ego
jam meo functus sum officio, nempe Judicis delegati, ut jam à me nul-
lum possitis sperare auxilium, quod antea speravistis. Nam non amplius
jam in mea, sed in Camera estis potestate.* Tunc mox viso me ad-
stantem Germanicoque ornatum esse habitu; Unde tu, inquit, es mi-
Fili? unde? Cur plundras (id est, caligas, seu braccas) geris? Ab eo tempo-
re, ex quo Germanica fides venit in Hungariam, non potest esse bene.
Hinc multis convitiis scommatisve in Megalandrum nostrum Lu-
therum debacchatus est, quorum nec relatio digna auribus. Tum
Confessionis Augustanæ longâ suggillatione factâ ad suorum hono-
rum & dignitatis summæ venit explanationem, quomodo quippe is
ab imi subsellii gradu ad summi honoris pertigerit fastigium. Expositis
suarum laudum Encomiis duxit nos in Bibliothecam suam, ubi ar-
repto libro quodam multis adversum Lutherum scatente calumniis,
ecce! inquit, quàm constans sibi fuerit Lutherus vester, ille Lurco
&c. Cur talem sequimini? Cur non jam tandem subscribitis? Ad hæc
datâ nobis jam respondendi facultate, cum hætenus non licuerit, ta-
centibus cæteris hæc verba faciebam: Celsissime Princeps, memine-
rit V.C. verborum suorum in altero Conclavi ad nos prolatorum, ubi
inter alia de Legis impletione & hæc dixisset: *Ad impossibilia nemo ob-
ligatur.* Et sanè κατ' ἀνθρώπων rectissimè. Nam & Poëta canit:
Ultra posse viri, non vult lex nulla requiri. Cur igitur V. Cels. nos mo-
do urget ad *Impossibilia*, hanc videl. *Subscriptionem*? Est ea quidem
possibilis, sed tantum quoad *externos motus corporis*, impossibilis ve-
rò nobis est, quoad *internos nostræ Conscientiæ affectus*, quam læde-
re nolumus, observantes etiam *S. Augustini* verba, cujus quoque in
discursu habito mentio fiebat: Sic autem ille: *Mallet mille mortes su-
bire, quàm conscientiamorsus sentire.* Ergò, respondit is: *vos meliores
estis vestris Superintendentibus, & aliis, qui subscripserunt, quales sunt
Basingenses, Modrenses, Sendurdenses, Neosolienses, qui tamen hoc non
sentiunt. Imò multi jam sentiunt se malè fecisse, repositum ei est.* Er-
gò mori debebitis, subnectit Archiepiscopus: *Responsum: Fiat Dei
voluntas.* Habemus tamen *Regem Clementissimum*, qui innocentes
non patietur morte affici.

Subscriptio
impossibi-
lis.

§. 17. His auditis mox è Bibliotheca in Sacellum, nos licet *Argumen-*
 invitos, abductos habuit, ubi finitâ Missâ, cur vos, extemplò inquit, *tū ArchiE-*
 S. Crucem contemnitis? Minimè gentium, respondi, imò crucifixio- *piscopi in-*
 nis Christi memores, singulis diebus, ubi opus est, surgendo & cubi- *soluble.*
 tum eundo, *Crucis signo* nos quoque signare solemus. Mox *μεταβά-*
σαι εις ἀλλὸ γένος factâ, Ego, ait, probabo, Aug. Confessionem,
 erroneam esse & falsam, & quidem tali *argumento*, quod si mihi quis
 Lutheranorum solverit, mox ei mille ducatos sum daturus. Tunc sic
 argumentabatur: *Q. profitetur se nosse Deum & non servat ejus mandata,*
is mendax est & veritas in eo non est. Augustana Conf. profitetur, se nos-
se Deum & non servat ejus mandata. E Aug. Conf. est mendax & veri-
tas in ea non est. Major probatur ex 1. Joh. capite Nono (NB. dice-
 re volebat cap. 2.) Minor est certa, quia vos dicitis, quod non possit
 homo Dei mandata implere. Tunc tacentibus reliquis ego responde-
 bam h. m. Celsissime Princeps, facile solveretur hoc argumentum.
 Minor enim propositio est falsa. Ad horum verborum prola-
 tionem tantus clamor exortus est in Sacello, ut putarem me jam mox
 è medio sublatum iri. Sed silentium obtinui his verbis ad Archiepi-
 scopum prolatis: Pace Vestræ Cels. dixero, nobis nunc non esse tem-
 pus disputandi, imò nec digni Sumus, qui in disputationis arenam cum
 Sua Celsitudine descendamus. Tandem nos huc advenimus *non ad*
solutionem argumentorum, sed ad solutionem vinculorum ex arresto. Hæc
 audiebat, mox abiit. Nos autem nulla resolutione postulatorum
 acceptâ ad nostros quoque redibamus, postquam Archiepiscopi Ca-
 pellano hæc verba dixissem: Frustrâ nos vexat frustra Celsissimus Prin-
 ceptus Archi-Episcopus, imò se etiam frustrâ macerat & molestat, nos
 ad has Reversionales urgendo. Nam *hæc subscriptio nihil aliud est,*
quàm honesti nostri nominis, famæ, fidei & Religionis Evangelicæ ex
nostra Patria Hungaria proscriptio. Certò autem sibi persuasum ha-
 beat Celsissimus Princeps, nos malle mortem oppetere, quàm indi-
 gnam hanc Subscriptionem admittere.

§. 18. Cæterum factâ relatione coram nostris dictorum Archi- *Regni Gu-*
 Episcopi, mox consultatio fiebat, quid porrò facto opus sit. Post mul- *bernatoris*
 tam deliberationem conclusum est, ut Regia Cæsareaque Majestas per *ad instan-*
 Procuratorem immediatè hoc in negotio requiratur supplici Libello. *tiam reso-*
 Antequàm autem id fieret, ipse quoque *Regni Gubernator* Posonii tùm de- *lutio.*
 gens hac in parte sollicitabatur, sed ab hoc talis accepta est resolutio:

Littera Ad-
Socati Vi-
ennâ Poso-
nium missa.

§. 19. Die Mensis Aprilis sexta & vigesima has Literas Viennâ à Procureatore nostro accepimus: Salute præmissa his breviter V. D. significare volui, quod 20. hujus Mensis circa horam nonam matutinam feliciter Viennam advenerim, quâ die pauca agere potui. Sequenti verò die Libellum supplicem suæ S. Maj. exhibere proposueram, verum siquidem Sua Maj. medicina usa est, nec eo toto die Palatio suo egrederetur, propositum in effectum deducere nequiveram. Itaque die 22. inter undecimam & duodecimam progredienti ad concionem in Capellam Suæ S. M. Supplicationem exhibui, quam etiam accepit ex manibus meis & serio inspexit. Vigesima quinta die similiter vestro nomine Domino Camerae Præsidi supplicem exhibui. Hinc die hodierna propter V. D. consilium Hungaricum in Aula S. M. habetur. Faxit Deus Ter. Opt. Max. ut ex consilio habito optata Resolutio sequatur. Accessi plurimos doctos Viros ex Imperio hic Viennæ degentes & A. C. addictos, quorum consilia non spernenda, qui omnes laudant Constantiam Vestram, & quidem confirmantibus id ipsum quam plurimis Catholicis, qui per expressum dixerunt: *Omnino apparere & constare manifesto V. D. innocentiam, siquidem ad Subscriptionem non accesserunt, hucusque etiam accedere nollent, verum ut viri honesti, nomini & conscientie sue optimè consulentes & se minimè precipitantes in periculum tale, in quale priores illi, inquiunt, Cor. A. se precipitarunt, propter suam subscriptionem Reversalium. Nunquam enim edoceri potuisset, quod protendeatur de illis. Secutâ autem subscriptione bene jam Fiscus Regius comprobare potest præensum Crimen.*

Quatuor
Ministro-
rum Helv.
Conf. in
carceratio.
1. Tim. 5. 15.

§. 20. Die quinta Mensis Maji, posteaquam latae Sententiæ condemnatoriæ ob Augustissimi Imperatoris & Regis nostri Clementissimi Leopoldi I, cui Rex Regum & Dominus Dominantium ex alto benedicat propitius vel prohibitionem vel displicentiam Executio in effectum deduci nequivisset, ex mortis condemnatis quatuor H. C. Ministri iique omnes præfidiarii, utpote *Stephanus Seles Superintendens Papensis, Michael Miscolcy Filekiensis, Stephanus Batorkesy Vesperimensis & denique Petrus Cregledy Levensis ad carceres rapiiebantur, quorum bini, equorum pascentium instar uno compede ferreo constricti per plateas Civitatis ad Arcem loco in eminentiore sitam deducebantur, ibique militum custodia traditi omni hominum aditu & conversatione penitus excluden-*

tur

tur. Quo tragico spectaculo tamen tantum ab est ut reliqui condemna-
torum perterrentur, ut eò magis animosiores redderentur, eandem
quoque si ita Deo visum fuerit, sortem constanter subituri.

§. 21. Tertia post die, ubi hæc accidissent, vocati per Servum Ar- Ad Curiam
chiEpiscopi circa septimam matutinam omnes catervatim (*eramus au-* Archi-Epi-
tem tum temporis adhuc ferè centum & octoginta, reliquis jam per alter- scopalem
nas vices dierum subscribentibus domumq; revertentibus, posthabitis cæ- Pastorum
lestibus terrestria, & quæ ventris sunt, curaturis) ipsius conscendimus Executio
Curiam Archiepiscopalem, qui mox misso ad nos in Palatium Proto-
notario suo talia nobis denunciari curat: Si gratiam Sæ Maj. sper-
nere nolimus, nostrum alii in dexteram alii in sinistram partem divisi,
jam tandem prout libuerit sive ad Emigrationem, sive ad domi mansi-
onem renunciando officiis nostris subscribamus. Aliàs, inquit, si hoc
non feceritis, mox accedit ipsa Executio ut vel proscribamini vel hinc
inde in vincula transmittamini. Considerate igitur vestrum malum
& habete sanam rationē. Ad hæc in instanti, cæteris loqui renuentibus,
respondebam: Generose Domine, nos Gratiam Sacratissime Sæ
Maj. nequaquam spernimus, quin potius turpi hacce nostra Subscripti-
one, ad quam tantopere urgemur, ea Gratiam nullo modo abuti volumus.
Quare etiam juxtà dictamen nostræ non tantum Rationis, sed & Consci-
entia agere volentes, neque sinistram, neque dexteram partem elige-
mus, quin potius, ut vulgò dici solet, Medio tutissimus ibis, cum bea-
tis medium tenebimus, & sic malumus innocentes pro nomine & gloria
Christi vel extrema pati, quàm turpissimam maculam nostro nomini in-
urere. Tunc Archiepiscopus accepta tali resolutione mox me cum
tribus H. C. Stephano Harsany & Jacobo Crusy Pastoribus ut & Valen-
tino Coci Rectore Scholæ Papensis in intimius conclave ad se accersi ju-
bet, ubi hæc ejus verba audiebamus: Quare omnes huc venistis?
Ego quatuor tantum illos vocari jusseram in Palatium, qui hesternâ die
mihi nunciaverant, se velle subscribere. Porrò tamen mei Carissimi
Fratres, si velitis subscribere, ecce! Datur Vobis adhuc Gratia S. M.
ut domum dimittamini, sin minus, ut omnes proscribamini, exceptis
illis, qui in Arce jam detinentur, juxta Mandatum S. M. de quo si dubi-
tatis, ecce vobis illud ad perlegendum porrigo. Hoc asumere cæ-
teris detrectantibus, ego tandem arripio, idq; à capite ad calcem
clara voce legere incipio, auscultantibus in anteriore parte Hypocau-
sti & palatii, præter suos servos multa turba Jesuitarum & Monacho-
rum.

Summa
Mandati
Regii.

rum. Hujus mandati Regii hæc erat Summa: Reverendissime Pater. Sementiam Excelsæ nostræ Sedis laudabiliter contra Prædicantes latam approbamus in omnibus articulis, punctis & clausulis; pro innatâ tamen nostrâ Clementia, eandem mitigamus, ut solummodo proscribantur. Instigatores verò aliorum, qui à subscriptione eos dehortati sunt, in exemplum aliorum compedibus vincti in Arcem deducantur (hæc dum legerentur, ecce! tu, inq̄uebat Archiepiscopus, immaturum ovum, apud nos Catholicos præsentibus Sacerdotibus loqui præbyterum non est moris, sed lege, lege.) ibique detineantur ad ulteriorem usque nostram benignam resolutionem. Perlecto Diplomate Archiepiscopus hæc inquit: Ecce videtis, carissimi Fratres, resolutionem Suæ Majestatis, si ergò malum hoc effugere velitis, subscribite. Nam vos non estis meliores illis prioribus, quales erant Basingenses, Modrenses, Leutschovienses & alii, qui jam subscripserunt. Ad hæc regessit Crusy: Celsissime Princeps, non Exemplis, sed Regulis nos ducimur. Fecerint illi hoc, dabunt facti sui rationem. Interim nos proscribi de jure quomodo poterimus, cum juxta Regni Articulos hic comparuerimus, neque in ullo crimine convicti sumus? Adstans ibi Secretarius: Sed qui subscripserunt, inquit, docent vos esse quoque convictos. Respondi ego: Egregiam convincendi rationem! Quid criminis me contra in Judicioprolatum est, quid contra hunc primum, secundum, tertium, & quotquot hic præsto sumus? Tacuit ille ad hæc. Tunc Archiepiscopus convenienti responsione insuperhabitatâ, Cur vos, inquit, tales estis, ut me etiam apud Turcam accusaveritis? Nam ecce ostendam vobis, Budensis Visirii literas ad me scriptas, quibus me præmonet, ne vos hic diutius detineam, aliàs malè fiet, quasi ego vos huc citaverim sine scitu & auctoritate Suæ Majestatis Cæsareæ. Hæc autem literæ involutæ erant panno Damasceno rubro, lingvâ Arabicâ scriptæ, quibus & pali trisulci, quod Turcarum sigillum est, sub finem literarum appositi conspiciebantur. Ad hanc nostri insimulationem reponebam ego: Celsissime Princeps, nobis horum prorsus nihil constat & parati sumus corporali nos purgare ab hac suspitione juramento. Tandem subjicit Archiepiscopus hæc verba. Ite modò domum & consultate ad invicem, an velitis subscribere. Circa verò horam secundam pomeridianam referte mihi resolutionem. Hæc relata quidem sed negativâ.

Literæ Tur-
cicæ

Citatio Geor-
gii Lani ad
Archi-Epi-
scopum.

§ 22. Posterâ mox die, quæ fuit 8. Maji circa horam tertiam pomeridianam expedivit Archiepiscopus servorum suorum quendam ad

ad Hospitium meum, qui me cum nonnullis aliis ad se arcessat. Comparui cum duodecim fortean viris, quibus is mox pro more solito variorum periculorum, nisi subscriperimus certo certius nobis subeundorum species proponebat. *Ecce, inquit, ego sum Pater Misericordiae, nolo ut vobis quicquam mali eveniat, sed ipsimet eritis vobis causa, siquidem non vultis subscribere.* Reponebat ad haec quidam Joh. Johannides Pastor Moraviensis qui brevi post Apostata factus, haec minus accommoda verba: *Siquidem V. C. est Pater Misericordiae, nos autem sumus Filii Pro. petimus, faciat nobis misericordiam, & dimittat nos.* Quae audiens ego hominem minus considerate locutum redarguo mox hunc in modum Archiepiscopum interpellans: *Nequaquam, celsissime Princeps, tales sumus, quin potius frugi. Sed pace V. C. dixerem, cum Pater Misericordiae V. C. audire gestit, cuperemus & nos desideraremusq; ab Eadem hanc observari similitudinem: Quemadm. Deus ob hanc potissimum causam Pater nuncupatur Misericordiarum, eo quod Filios hominum ad Impossibilia non urgeat, nec urgere velit; sic etiam!* Haec dixi, abrui. Tunc is tertium me adspiciens adque ceteros conversus, *sed quid, inquit, facient vestrae Uxorcula? quid liberi?* Tacentibus iis subnectebam mox: *Celsissime Princeps, Christus ait: Qui Patrem, aut Matrem, Filium aut Filiam plus diligit, quam me, is non est me dignus. Et iis dominus providebit. Sed, ait ille, per totam vitam cruciabimini.* Respondi, *malumus hac in presenti, quae brevis est, quam in in utraq; simul, cruciari sauciatae stimulis conscientiae.*

§. 23. Audito hoc, omnes nos confestim abire! jubet suo ex ^{Georgii La-} conspectu ad Camerae Praesidem per Secretarium deducendos. Abii- ^{ni in carce-} mus itaque, priusquam vero in conspectum Camerae Praesidis venisse- ^{-ratio.} mus, quidam ex intimis servis Archiepiscopi miris modis nobis Subscriptionem persuadere conabatur, exemplis potissimum antecedentium propositis. Ad quae ego haec reponebam: *Quid! fecerint alii parum curamus. Scimus enim eorum plerosq; magis suam pecuniam conservandam, quam illibatam curasse conscientiam.* Mox conversus ad quendam nostratum nempe Martinum Ochernial Alfolkertensem Pastorem, ei haec in aurem dicebam: *Simus tantum bono animo, licet ad Carceres rapiamur exemplo illorum quatuor, gloriae id nobis, non decori cedit. Ego certe, si fors ea me tetigerit, maxime gloriosum id mihi reputavero.* Dictum! Factum! Simulac coram Praeside nos stitisset, mox is haec ad me verba Germanica proferebat: Tu, inquit,

cæterorū hæcenus eras Procurator & Consiliarius, age nunc etiam Nebulonis istis hæc interpreteris: Datur furciferis istis in crastinum usq; diem deliberandi facultas, utrum velint subscribere vel minus? Ni id fecerint, posthabitā jam omni ulteriori dilatione hinc inde ad loca diversa partim Jaurinum, partim Leopoldopolim, partim Comarinum, partim Capuvarinum ad carceres distribuentur. Cras mihi suam significant Resolutionem hi Nebulones, quos ego mox docebo: Hæc verba convitiis omissis postquam iisdem interpretatus fuisset Lingvâ Bohemicâ, illi domum abire jussi discedebant, ego autem Solus apud Præsidentem detentus è vestigio Litoris advocati operâ in vincula conjicior, dehinc compedibus vinctus militum stipatus catervâ ex Civitatis meditullio, ingente hominum multitudine spectante extra portam ductus, tandem ad quatuor illos, de quibus jam super memoravimus, in Arcis custodiam carceremve perducor.

Somnium
Georg. Lami ante incarcerationem.

§. 24. Quantumvis parum fidei tribuam somniis, in memor illius Ovidi:

Somnia fallaci ludunt temeraria nocte

Et pavidas mentes, falsa timere jubent,

mei tamen insomnii (quod jam impræsentiarum oraculi loco teneo) me hic meminisse oportet. Visa quippè mihi est, tertiâ ab hinc nocte, ingens admodum tempestas, multis tonitribus & fulgure maximè terribilis, quâ durante tempus ad exiguum non modicum percussus eram, sed ecce! ex improvviso sudum fit insolitum, cui par haud unquam mihi conspiciere licuit. Hac visione multis tum temporis relatâ, non pauci sibi pollicebantur post futurarum imminentiūque tribulationum nubila Phœbum tandem exoriturum.

Quinq; captivorum
Posonio a Sectia.

§. 25. Sic nobis quinq; jam Captivitatis ergastulo constrictis, cæteri mortis condemnati Pastores & Rectores, quatuor ferè septimanarum spatio, porrò liberâ aurâ utebantur, donec tandem post Ferias Pentecostales, adveniente Mense Junio nos ex Arce Posoniensi ad Berencziensem aveheremur, ibi incarcerandi, ubi nobis singulis singuli, demptis prioribus, compedes injiciebantur.

Cæterorum
Captivorū
ad carceres
raptatio.

§. 26. Tunc enim demum cum reliquis utriusque Conf. Pastoribus & Rectoribus, singulari adeoq; personali per singulos Comitatus instituto examine, facto initio à Trenchiniensis Contubernii Pastoribus, qui maximè ad subscriptionem toto eo tempore inclinare videbantur, (ex quibus tantum duo constantes reperti, Hadikius nempe & Masnitius, quorum tamen prior ille brevi post, cum Leopoldopolim

ave-

sua nomina dare renuebant ad carceres Curia civitatis Pofon. mox rapiabantur. Inter *Reversalistas* (hoc nominis subscribentes à Fisco Regio tempore Judiciorum acceperunt) potissimi erant Samuel Francisci Rajecensis, Matthias Smidel Belufensis Pastores. Captivorum autem ab initio plus minus 90. fuere, ex quibus 38. Leopoldopolin (quibus Carnifex una adjunctus non parum terroris passim in itinere incutiebat, jam jam supplicio esse afficiendos à se, nî subscripserint asseverando) Comarinum 20. Sarvarinum 15. Kapuvarinum 8. & denique Eberhardinum 6. promiscuè sine Confessionis discrimine Pofonio avehebantur, ubi tamè non omnibus constantibus esse licuit. Nam tædio captivitatis postquam non nulli subscripsissent, spe acqvirendæ Liberationis, tantò magis urgebantur ut una mox Apostate fierent, quod potissimum accidit illis, qui Comarini detinebantur numero 20. præcipui A. C. Pastores & Seniores, ex quibus non nisi tres ad finem usque perseverarunt, cæteris omnibus ad Apostasiam deficientibus.

§. 27. Et quidem horum Comaroniensium Captivorum conditio, Comariensium ad
ut respectu aliorum multis parasangis fuerit tolerabilior, cum neque ^{postasiam}
carceri squalido, verùm honestiori cuidam habitaculo includerentur, ^{defectio.}
neque vinculis ferreis constringerentur, neque fame aut siti enecarentur, nullis denique tum temporis ab initio, nisi fortè post, laboribus molestarentur, attamen ejus mox pertæsi sortis, sex eorum, qui primipilares videri volebant, inter quos Johannes Johannides & Timotheus Lovezany erant, advocato ad se uno Jesuitarum, suum ei propositum de admittendis & subscribendis Reversalibus clam cæteris aperiunt, rati, hoc facto, mox sui Liberationem futuram. Ast longè eis aliter cessit res, quàm sperabant. Nam Jesuita quidem superinde multum gestiens, mox die postero, subscriptas à se Reversales reportabat, dimissionem autem minimè concedebat, sic ad eos locutus: *Amici carissimi, Eliberatio vestri jam fieri non potest exhibitis etiam nescio quibus Reversalibus, nisi una fiat Catholici. Punctum enim Reversalium jam cassatum* (hoc est, sublatum) est: Quibus verbis illi ab initio sanè non parum consternebantur, brevi tamen post, animi haud pendentes dant locum & Apostasie. Cæterum neque hæc homines infelices mox juvit, ut ad lares domesticos dimitterentur, quorum tanto ardebant desiderio.

In liberiore duntaxat emissi auram, lautiusq; tractati & habiti, sex hebdomadarum spatio ibidem loci detinebantur, locoq; Illicum Aucupumve cæteros in castes & laqueos seducentium, indies eisdem in conspectum producebantur, donec iterum sex eorum partim minis partim pollicitationibus in idem salutis discrimen, pellecti fuissent.

*Apostatarum
in specta-
cula produ-
ctio.*

§. 28. Hi decem & duo Apostatae, licet de Parochiis in Papatu secundum pollicita Jesuitica possidendis & retinendis pleriq; Archiepiscopo supplicaverint, spe tamen frustrati suâ, non nisi florenos 60. honorari loco singuli accepere. Tandem Comarino sub militum Custodia

*Sors Capti-
vorum Leo-
poldopoli.*

Gulam, & abhinc Leopoldopolin per loca ducti diversa multis Evangelice addictis Religioni spectaculorum instar ostentabantur: præsertim verò Captivis Leopoldopoli gementibus, qui durissimis hætenus laboribus usq; indignis & sordidis, quippè in expurgandis latrinis & Cloacis, munitionibus extruendis, carceribus novis effodiendis, platearum viis complanandis, fimetis & sordibus exportandis, idq; genus aliis operis abominandis, per frequentissima verbera militum, instigante ad id Jesuitâ quodam Nicolao Kelly, necnon ejusdem Ministro aliàs claudo, exerciti & vexati, advenientes Apostatas refertis particibus benè saginatos, ne alloquio quidem suo erant dignati, felicitatem eorum præ sua sorte sat miseranda magis deplorandam, quam exprobrandam reputantes. Peracto hocce spectaculo (quod non parum mœroris & tristitiæ γυναικας

*Apostata
majoris sa-
vitia exer-
cenda causa*

veris Evangelicis attulerat) Apostatae liberi dimittebantur, Captivi autem Christi Deo auxiliante in sua perseverantes constantia fata duriora in dies experiri cogebantur, quæ singulatim exprimere orationisve stylo exponere labor & onus unius haud est hominis. Summam miseriarum nostrarum videsis in *Supplici Libello*, cujus in præfationis frontispicio jam facta mentio. Et ut ut calamitates nostræ tantæ fuerint adversitatesq; tantum tamen abfuit, ut Clero in nos sævienti tubam porrexerimus, ut potius his diris & duris imò tyrannicis cruciatibus ad Perseverantiam eò magis erigeremur omnibus in carceribus si Comarinum excipias. Porrò Capuvarini unus A. Conf. Pastor vitam miseram cum morte commutavit, quod penè idem acciderat Leopoldopoli uni M. Thoma Stellero, Gymnasii Neosoliensis Con-R. A. C. qui ad verbera more Turcico sibi illata tantum non animam exspiravit.

*Exposiciones
Jesuitica
ad apostasi-
am diversa.*

§. 29. Porrò me quod attinet, licet à puncto nostræ hujus Incapтивationis in tribus diversis Arcibus Posoniensi puta & Berencziensi in Hungaria, Schottviennensi deniq; in Austria finibus continuatæ

(reliqui

(reliqui enim Captivi ad quos erant detrusi carceres eosdem non permutarunt ad ipsam usque profectiōem & abactionem Hispanicam) licet, inquam, Societas, quæ dici vult, Jesu, nihil intentatum reliquerit, quo pacto me ante alios non minùs suis blandimentis, aureos, ut ajunt montes, mihi sapiùs polliciti, quàm Carceris subterranei tenebricosissimi-Carcer Beremi, fœtidissimi, & squalidissimi, necnon reptilibus referti, nocturnis, renczianis, diurnis molestiis, ut & immanium compedum ferreorum pressuris, stimulante denique maximâ fame & siti ad turpissimam Apostasiam allicere & perducere potuisset. Ast in cassum tentata omnia, Deo vires roburque non minùs patientiæ, quàm constantiæ ex misericordi suâ gratiâ mihi suppeditante.

§. 30. Accidit quodam Captivitatē Pofoniensis, (quæ nondum tam dura, uti posterior Berencziensis fuit) tempore, ut Thraso quidam Jesuiticus adjunctis sibi aliis quibusdam Sociis nos Captivos accesserit, his nos formalibus verbis allocutus: Vos, mei Domini, licet omnium sitis doctissimi, ego tamen vellem vobiscum de Religione Vestra quædam conferre, potissimum cum sciam, quod vestrum aliqui Hebraicè & Græcè benè norunt. Nam & ego sum bonus Græcus & Hebraeus. Tunc ego mox suis assurgens petitis, porrectoq; eidem ad suas manus, quod penes me habui (Nondum enim Vestium & rerum nostrarum, ablatio facta erat) N. T. græco, lectionem dicti vel pericopes alicujus urgeo. Sed Neo-Græco Thrasoni pagellas porrecti sibi libelli volventi atq; revolventi aqua mox hæserat, ut vix apices ipsos, nedum Græci idioma-tis lectionem nosse & callere visus sit. Quo facto subitaneo perterritus, nihilque aliud in medium proferens, quàm hæc duo vocabula bis vel ter repetita: Kata Luka, kata Luka, quæ Hungaris risum movere ciereque solent, nos illicò missos fecit, & suis quoque se deridendum præbens, abiit.

§. 31. Cum ex Custodia Arcis Pofoniensis ad carceres Berenczianos omnium durissimos abduci debuissēmus, accesserat nos ejusdem Arcis Præfectus, nomine Koloniczii Camera Præsidis, hæc verba suo jussu nobis propositurus: Ecce, inquebat, currus jam præsto est, quo ad Tiresmes avehemini, facite faciēda, subscribite Reversalibus, & mox dimittimini, præsertim verò (ad me conversus) Tua Dominatio, cur tantum se præcipitat in discrimen, tam tenerâ ætate homo, nec ullo adhuc Prædicantis, (quorum longe alia ratio est, cum illi & juramento ad sui officii fidelitatem se obstringant) munere functus? Cui ego ad hæc acutum ta-

Thrasoni
cujusdam
Jesuitici
ad Captivos
importunus
accessus.

Tentatio
Pofoniensis.

Causa cur
non sub-
scribere
voluerint
Christi veri
discipuli.

lia reponebam: Ego, Generose Domine, cum nullius adversus Suam
Sacratissimam Majestatem commissi Criminis conscius mihi sim, Rebel-
lem me fuisse, nullatenus fateri possum, multo minus manus aut nominis
mei subscriptione, necnon Sigilli appositione id ipsum testari. At, inquit
ipse, alii multi jam hoc fecerunt. Regessi, non Exemplis, quæ sapius
mala, nec imitanda, sed regulis ducimur. Si aliqui hoc fecerunt, satis
malè fecerunt, dabuntq; sine dubio facti sui rationem & pœnas. Porro Do-
mini mei, si Vestrum (aderant enim plures officialium) aliquis falsi
criminis vel furti, vel scorti, vel homicidii & id genus insimularetur, &
ob id in vincula conjiceretur, in quibus ad passionem sceleris falso sibi
imputati, subscriptione seu chirographo confirmandam urgeretur, quis
tam insanus & stolidus fuerit, qui dixerit se esse furem & latronem? scor-
tatores & adulteros? homicidam aut parricidam, cui Rebellis haud est
absimilis, si non longè deterior, cum reverà talis non existat? Omnes ad-
mirabundi nihil ad hæc responderunt. Tunc ego: Malo igitur extremis
etiam periculis expositus pati innocens pro Nomine & Gloria Christi, quàm
ejusmodi turpem honesto meo nomini inurere maculam, memor illiq; quod
inquit Poëta:

Omnia si perdas, famam servare memento,
Qua semel amissa postea nullus eris.

Falsorum
fratrum
proditio.

Et sanè macula hæc est indelebilis, qui juxta illud vulgatum: Vox audita
perit, litera scripta manet. Sciant verò, Domini mei, me tempore Re-
bellionis (si vera fuit) in Hungaria exortæ longè abhinc distans fuisse, Ro-
stochii nempe ad mare Balticum, ubi studiis meis tum operam navabam,
quo jure ergò fictæ Rebellionis prætextu captivus hic detineor? Tu, subjecit
mox Præfectus Arcis, non tam ob Rebellionem, quàm nonnullorum tuorum
Consortium delationem primus ad Carceres rapiebaris, eò quod Autor ex-
titisse diceris apud ceteros, quò minus locum dare Reversalibus volue-
rint. Respondi extemplò eidem: Si hæc tantum est causa mea Captivi-
tatis, maxime mihi gratulor, quod pro Christo solo patiar, rebus sic meis
in Vado jam positus. Audierunt hæc & abierunt, postera autem die mox
ad Arcem Berencæ, quod nobis minus constabat rati, jam ad triremes
nos abduci, avehebamur.

Visitatio
mei à Fra-
tre Germa-
no in Car-
cere.

§. 32. Sextâ ante diem, quàm ex Berencæ post novem mensium
exactam Captivitatem durissimam & dirissimam, aliorsum nempe ad
tertiam Arcem in Austria finibus sitam, Schöttvien dictam, abducti fuis-
semus, Frater meus Germanus, cum antea nullam unquam mei ha-
bere

bere potuerit copiam, quò me conveniret & in Carcere ^{visitaret}, solati-
um & subsidium mihi aliquod allaturus, (*omni enim uti conspectu ita
& affatu Amicorum toto captivitatibus tempore usq; ad Férias Nativitatis
Christi excluderemur carceri subterraneo interdum noctuque inclusi*)
ope Societatis Jesuiticæ, quæ Trenchinii habetur, (quorum hæc ars,
imò fraus fuit) nactus facultatem me accedendi, captivum visitavit,
allatis literis à dictis Patribus ad Arcis Præpositum, qui Commendan-
tis nomine gaudet, *Ulricus Glemmer* dictum. Exorabatur autem is, *Tætatio Bē*
quò mihi hæc similia persuasum eat: *Contemptim scilicet habitis omni-
bus hætenus mihi oblatis Liberationis mee modis & mediis, unicum su-
peresse, si ad palatum meum fuerit. Recipiam dumtaxat spondeamve iis-
dem Patribus, me fore Catholicum, licet factò ipso & opere id minùs præ-
stitero, tunc è vestigio me vel clam tempore nocturno liberatum iri. Nam
Tue, inquit porrò, Contumacia, totum, quicquid hujus est negotii im-
putatur, quod & ceteri in sua perseverent pertinacia, adeò ut, nisi jam
huic ultimo calculum adjeceris consilio & monito, infensissimum adver-
sum te experiare Dominum Camera Præsidentem, apud quem Patres Jesui-
te, quippe tui amantissimi, nunc valent plurimum, pro te imprimis a-
pud eundem, ut ex literis eorum ad me scriptis constat, laboraturi. Ve-
rùm accepit idem Arcis Commendans convenientem commendatio-
ni responfionem, me scilicet clam è carceribus dimitti nolle, avertende su-
spicionis causâ. Imò si tale quid sponderem, quod promissum facile ca-
deret post in debitum.*

*Tætatio Bē
rencz sensis
seu Fraudes
& doli Je-
suitarum.*

§. 33. Dehinc recordor me, inqueiebam, legisse alibi histori- *Acerra*
am de Comicis Gallicanis, qui totum Reformationis opus à Luthero *Phil. cent.*
inchoatæ coram Galliarum Rege Francisco representaturi, hunc in *n. 4.*
modum scenas actuum producebant. Sistebatur quippe in theatro
primum Vir quidam lignorum bajulans fascem humeris, quo in thea-
trum abjecto abiit. Hunc ponè secutus alter erat qui projecta ligna
contemplatus, manibus suis equeidem atrectabat eadem, sed mox iis-
dem quoque suum in locum repositis, pariter discedebat. Immediatè
prodiit tertius ignem suum apportans, quem dictis injiciens lignis ea
sufflando accēdebat, donec tandem in flammam abiissent. Mox successit
in proscenium quidam duas manuum utraq; urnas gestans, quarum
altera aquam, oleum altera continebant; hicce erroris præpeditus ve-
hementiâ, urnarum posteriorem olei plenam igni affundit, quo factò
ingens tandem, ortum est incendium. Quid fit? Profilit denique in

theatrum stricto quidam instructus gladio, hasce flammis disjuncturus, sed quæ suis percussæ ictibus majora subito sumserunt incrementa. Ingeniosissimum sanè Reformationis depingendæ inventum, cuius si non tædeat Generosum meum Dominum, ejus ideam exposuero. Annuente Arcis Præfecto sic verba faciebam. Primi viri in theatrum prodeuntis specie intellectum volebant dicti Comici Reuchlinum, virum lingvarum orientalium peritissimum, qui allato ligno glaciem fregisse, nec non viam futuræ Reformationis stravisse putatur. Alter ligna contrectans reque infecta abiens Erasmi Roterodami præ se tulit figuram, cui equidem Reformationis arrisisse novimus opus, sed quem ab opere promovendo absterruit pusillanimitas. Per tertium, qui igne instructus in proscenium prodierat, Franci Lutherum intellexerant, quod & nos haud in sinistram partem interpretatum esse volumus. Hic enim reverà fuit idem, qui igneam Evangelii lucem accenderat. Penultimus ille aquæ cum oleo bajulis Leonem X. Papam Rom. repræsentabat, qui sparso diffusoque Excommunicationum oleo tantum abfuit, ut ignem Evangelii extinxerit, ut eundem magis magisque accenderit. Ultimus denique gladio dissipans incendium Caroli V. Imperatoris præstitit vicem, qui Reformationis beatæ opus vi reprimere & opprimere molitus erat. Sed frustra. Dei enim opus nullo pacto impediri potuit, quin potius tam diu perstitit, donec tandem lux hæc candelabro Aug. Conf. publico imponeretur: Sic videlicet *σὴ ληθὲν ὄσι πρὸς κέ τρε λακτίει*.

Crucis passionis non tam auferunt, quam adferunt, erigunt animos Captivorum. §. 34. Hinc mirari me admodum dicebam, quod jam tam longo temporis intervallo nos quoque frustra his affligamur carceribus. Tantum enim abest, ut nostrum aliquis per hæc adactus media amplectatur Romano-Catholicam fidem ut magis ab hoc modo colendi Deum abhorreat, in veritate confirmatus Evangelica, ob quam unicam certissime nobis jam constat, nos hic pati impræsentiarum, cum jam missis Reversionalibus ad solam Apostasiã adigamur & urgeamur. Scitum tamen esto omnibus Persecutoribus nostris, quod nemini mortalium in nostras Conscientias sit ullum imperium. Ergo, inquit Præfectus, neque Cæsari? Uti que, respondi. Solius namque Dei id est, quod sibi nemo hominum appropriare valeat. Nec ego putaverim Suam Majestatem Sacratissimam, id quod divinum est, sibi velle vendicare, quam domini Jesuitæ semper ad id instigent & urgeant, ast præter omnem rationem & modum. Legimus hoc ipsum à piis Regibus

& Mo-

& Monarchis olim quoque sanctè observatum. Certè Maximilianus Maximilianus II. augustissimus ille Romanorum Imperator, hæc de Conscientiarum dominio solitus est dicere: *Nulla tyrannis est intolerabilior, quàm dominari velle Conscientiis, eò quod tales sibi videantur thronum Dei invadere velle, qui conscientiis dominari cupiunt.* Rectè etiam laudatissimus olim Rex Polonorum Stephanus Bathorus: *Tria sunt, inquit, quæ Deus sibi soli reservavit, Creare aliquid ex nihilo, prædicere futura & deniq; imperare Conscientiis.* Quid verò gloriosissimus Rudolphus II. augustum illud Romulidum caput ut & Hungariæ & Bohemiæ Rex mitissimus? Is cùm de intercepta à Turcis Alba Regali præcipuâ Hungariæ urbe nuncius ad se advolasset, consternatus, *Expectabam*, ait, *tale quid, posteaquam hodie regimen Dei, quod Conscientiarum est, usurpare cœpi.* Hinc & Christus talia vult à nobis observata, dum ait: *date igitur quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.* *corporei mei & eorum, quæ ad corpus spectant, per libens jus tribuo Cæsari, Anima autem & Conscientiæ meæ imperium soli Deo vendico.* Tunc respondebat Præfectus: *Parendum tamen est magnis dominis.* Ita est, subjunxi, *sed in legitimis, & quæ non pugnant cum lege Dei.* Porrò quis major est domino illo, qui in cœlis habitat? Dicat Dominus hic terrestris: *Fac hoc. Prohibeat contra cœlestis: Ne id feceris.* Cui fœdis magis obtemperandum? Tacente eo; Petrus, inquit, nos docet, *plus Deo esse obediendum, quàm hominibus.* Porrò is ait: *Sed accommodare vos debetis magnis quoque dominis.* Dixi: *Accommodatio hæc, Generose Domine, nihil aliud est, quàm nostri honesti nominis salutisquæ Incommodatio.* Nam uti *nemo potest duobus Dominis servire, inquit, Christo, ita quoque nemo se accommodare potest Deo, simul & huic mundo,* teste Jacobo. Talibus auditis excanduit, moxque à facie me repellit sua ad carceres subito reducendum, omni etiam denegatâ facultate mutuam sermonem cum Fratrem instituendi, qui etiam extemplò lacrymabundus hinc abire coactus.

Stephanus
Bathorus.

Rudolphus
II.

Matt. 23. 21

Act. 5. 19.

Jac. 4. 4.

§. 35. Paucis ante diebus, ubi hæc accidissent, evocatus carceris è lacunis à consorte quodam, cui nomen Johanni Michalete erat artis Sutoriæ viro, (qui olim in Papatu educatus cognitâ Evangelii veritate, omnibus suis bonis in Moravia posthabitis in Hungariam arte Persecutionis hæc tempora concesserat, ibidem tutò commorans) ergò: sed exortis his turbationum procellis à Sacrificio quodam, quo ei dicto minùs audiens esse voluerit, quippe longe eodem in Scr. S. de

etior, in vincula coniectus, jam ab integro anno hic loci captivus detinebatur, proprio se sustentare sumptu coactus) ab hoc, inquam, Sutorculo, ad hauriendum è puteo aquam evocatus, à quadam Virgine (sed fortean deflorata, erat enim Sacerdotis cujusdam coca & concubina) multis blanditiis ad apostasiam alliciebar. Inter alia ejus hæc ad me verba erant: Annon pudet Dominum haurire aquam? Omnino, regessi eidem, quemadmodum Christi discipulos in Cana Galilæa. Tunc ea, Si esset Catholicus, ait, mox promoveretur in Parochum, essetq; vir Sanctus. Sanctus, respondebam, coram hominibus, sed non coram Deo. Ad hæc subjicit mox coadjutor meus: Ego novi, inquam, duos Sacerdotes in Moravia à sanctitatis laude commendatissimos, quorum tamen uterq; in adulterio deprehensus, nescio an dederit pœnas facti sui. Tunc me relicto Thais insultare Sutorculo, execrari & convitiari. Post ad carceris barathrum me descendente, secuta est ad ejusdem usq; orificium, his me verbis alloquendo: Cur Dominus descendit in hunc carcerem? Ubi ego subsistens, eandem multis auscultantibus rogabam, an habeat mea virgo Amasium? Neganti hanc proponebam similitudinem: Si tamen esset virgini dilectus quispiam, à quo nunquam sejungi ob amoris in se vehementiam & affectus vellet, huic autem accideret, ut loco includeretur squalido, quid faceret virgo, inviseret suum dilectum vel minus? Respondit, cur non? Sciat ergò virgo mea, & mihi esse amasium hoc in carcere, nempe JESUM CHRISTUM, à quo nullatenus sejungi valeo. His auditis ea confusa abiit, ego autem carceri includebar.

*Argumenta
ra cujusdã
Sacrificuli
apostasia
Sasoria.*

§. 36. Accesserat nos etiam eo fere temporis articulo *quidam Paterculus*, Oppido proximè adjacente *Sobotist* dicto, qui apostasiam quoq; nobis pervasurus: *Ego*, inquam, etiam fui olim Lutheranus, sed *habui horrendissima argumenta* numero 40, quæ me moverunt, ut essem Catholicus. Tacentibus reliquis respondebam: Nos ab horrendis argumentis, valdè abhorremus, tantum abest, ut per ea Romano-Catholici fiamus. Tunc ille: *Ast Ecclesia Catholica est diffusa per totum terrarum orbem*. Regessi, ast quid dicit Christus: *Ne timeto pusille greges*, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Misso hoc argumento horrendo aliud magis horrendum assumebat: Sed, inquit, *in Ecclesia Catholica sunt miracula*, quæ Lutherani facere non possunt. Respondi: Quid autem statuit Christus de talibus *Mirabiliaribus*; ut eos Augustinus nominat? *Multi*, ait, *dicent mihi*

in eadem

Luc. 12. 32

in eadem die, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, *Matth. 7. 21*
 & in tuo nomine demonia ejecimus, & in tuo nomine virtutes multas
 (hoc est, miracula) fecimus, & tunc confitebor illis: Quia nunquam novi
 vos. Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem. Hoc certè est *Matth. 24.*
 horrendissimum argumentum. Porro alibi Christus ait: Surgent enim *24.*
 Pseudo-Christi & Pseudoprophete, & dabunt signa magna & prodigia (hoc
 est, miracula) ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.
 Hæc audiebat & mox admirabundus abibat. Hoc factum erat in
 Carcere Berenciano, ex quo brevi post hæc abducebamur.

S E C T I O III.

L Y S T R I C A,

In qua delineatur Captivorum Christi ex Hun-
 gariæ Carceribus ad Triremes Hispanicas abducto-
 rum iter tyrannicum.

§. 37.

Post longum miserandæ captivitatis tempus jam elapsum, *Fraudes &*
 ubi Societas ab (I) Esu cum reliqua rasorum turba passim *dols Jesu-*
 per Hungariam sparsisset *ticarū Æ-*
 rumorem de dimissione Pastorum *q̄s vocati-*
 Captivorum jamjam propediem futura (factis hætenus *onum.*
 non paucis cum Hungariæ incolarum, tum exterorum,
 præsertim verò Legati Regis Sveciæ pro nobis apud Sacratissimam Suam
 Majestatem intercessionibus) non sufficiebat adhuc eidem Clero tan-
 tum afflictionum & cruciatuum miseris conciliasse & dedisse captivis,
 nisi porro his crudeliora magisq̄ horrenda tentare inciperent. Mox
 ab initio nostræ non tantum incarcerationis, sed & citationis ad Jus,
 Triremibus Hispanicis nos Clerus Romanus perterrefaciebat, ut supra
 jam de eo dictum. Non suppetebat autem eidem modus & facultas
 Captivos Christi eò mox transmittendi & abigendi, denegato fortean
 sibi Militis Cæsareani præsidio. Verum *Rebellio*
 rebellante Sicilia adversum Hi- *Messinensi-*
 spanos, concedebatur Hispaniarum Regi facultas militem in Styria, *um in Sici-*
 Austria, Moravia, in ipsa quoque Hungaria conscribendi eò locorum *lia.*
 abhinc ad suppetias ferendas transmittendum. Hinc nactus occa-
 sionem Clerus malum suum propositum, quod jam dudum ani-
 mo conceperat, tandem pessimum in effectum deducendi. Qua-
 re ubi

Abductio s.
Captivorum
ex Hungaria
ad Schott-
viam.

re ubi *Mensis Martius* *Anni vertentis 1675.* advenisset, ecce *captivi* *è suis dimittuntur* *Carceribus.* At quorsum dices? Non ad *dulces*, ut spes erat, *Patriæ suæ casas*, verum ad *truces Hispanorum* *carinas.* O scelus nefandum! O impietatem Cleri Papalis! *Mensis* igitur dicti tempore, quod *Quadragesima* audit, rursus *primùm* nos *Captivi* quinque ex carcere *Berenchiano*, nocte intempestâ, nullo ex *Incolis & Accolis* animadvertente oblecto curru, per *Moraviæ & Austriæ* fines ad tertiam *Arcem Schottviam* dictam, versus *Styriam* exiguâ militum equitum *Germanorum* nos comitante manu avehebamur, ubi depositi *Custodiæ*que traditi jam paulò remissius quam ante tractabamur. *Illustrissimæ* etenim *Domine Viduæ* illius loci *N.N.* indulgenti & beneficio factum est, ut non solum *commodiore habitaculo*, sed & *cibo atque potu* ad satietatem usque nobis perfrui licuerit, adeò ut spem non exiguam de sorte nostra brevi forte in melius commutanda concipere potuerimus, tali nos potissimum prævenientibus solatio illis, qui circum nos erant. Quo enim fine talia fierent porsus nos lauit.

Tentatio

Commissarii
callidissimi.

Questio per-
iculosa.

§. 38. Caterum hocce in itinere nocturno & clanculario *Commissarii* *meræ Pofoniensis* *Commissarius Pongratz* cognomento, multa *me-*
callidissimi. cum verba sæpius miscuit, spe ductus certâ *Apostasiam* mihi per-
svadendi. Inter alias captiosas *quæstiunculas* & hanc proponere,
Quæstio pe- hæud est veritus: *Quid sentis*, inquit, *de Sua Majestate*, *utrum Cesar*
riculosa. *salvabitur*, quippè *Catholicus*, à *cujus religione tu tantopere abhor-*
rere videris? Respondi huic *Tenatori*, *quæstionem esse periculi plenam*,
& *mihî laquei loco propositam*, *quare silentii peplo potius involendam.*
Si tamen quid è ad hoc dicendum, breviter respondeo, *me neminem*
condemnare, multò minùs *Suam Sacratissimam Majestatem*, utpote
meum Dominum & Regem Clementissimum, pro quo ego in dies
meas ad Deum fundo preces. *Nos enim Evangelici non sumus tam*
perfriete frontis inconsideratiq;, quemadmodum *rudés nonnulli* (de
doctis enim uti Jesuitis ita & Monachis longè aliter persuasus mihi
sum) inter Romano-Catholicos, qui *publicis in conventibus hæc sæpius*
effutire verba è suggestu haud erubescunt: *Omnes Lutherani & Cal-*
Luc. 16, 37. *viniani jam sunt in Inferno.* *Non isti homines perpendunt illud Chri-*
sti monitum: *Nolite condemnare & non condemnabimini.* Porro
Romano-Catholicus quod fieri nolim, *causarum hæc est primaria &*
precipua, *quia nondum me cœpit ulla Desperatio*, *quæ juxta vetus*
proverbium, *facit Monachum vel Militem.* *Deinde si Monachus fie-*
rem, *necessariò desperarem*, *quod Apostatis plerumq;* *accidere solet.*

§. 39. Ca.

Studium
zelus Jesu-
itarum.

§. 39. Ceterum, inquebam, miror P. Jesuitas tanto flagrare promovenda Ecclesie Romano-Catholice zelo, nec tamen legitimum homines ad eam perducendi observare modum. Non sanè verberibus, sed verbis, non tormentis sed argumentis, non carcerum vinculis sed Scripturarum oraculis cogendi sunt homines ad fidem, exemplo Prophetarum in V. & Apostolorum in N. T. Dicat mihi quæso, Tua Dominatio, ubi Prophetæ, ubi Apostoli, ubi eorum Sequaces in primitiva Ecclesia, ut & post ad amplectendam Christianam fidem carceribus vel torturis quæ impiam coegerint? Respondebatis, tamen nec vos ullus cogit vel urget. Quid ergò sunt, malum, inquam ego, nostræ hæ miserie & calamitates inexplicabiles, quàm indigna coactio? Tacuit. Tunc ego; *Utinam omnes, quotquot citati erant & Posonii comparuerant, cum Patroni Ecclesiarum, tum earum Ministri, utinam, inquam, omnes Constantes permansissent, crediderim bonos Patres Jesuitas vix eo progressuros fuisse audacie, ut similia hæc tormenta in nobis patrarent.* Respondit Commissarius his verbis formalibus: *Sic fortè omnes periissemus. Interim tamen Cesar parvi pendit unius Regni amissionem. Ergo, rogavi, Romanum Imperium est unum Regnum?* (Referabat enim jam ante, de Svecorum quibusdam molitionibus.) *Et Hungaria nonne dicitur & est multorum Regnorum Christianitatis propugnaculum?* Ego certè non ausim talia sentire nedum dicere de Sacratissimo Imperatore. *Calumnia hæc potius est de Clementissimo nostro Rege, & Domini Jesuite ita sentire & loqui amant, qui bellis ferendis maximè delectantur.* Dicti tamen Patres sciant, se mediis hisce illegitimis, quibus utuntur ad convertendum homines, plus sibi, & Romanæ Ecclesie obesse, quàm prodesse. Nos quidem hic patimur, sed prorsus innocenter, ut optimè Tuæ Dominationi constat, sed nescio, quis rationem pro eo sit daturus. His dictis concludebamus discursum nostrum.

Act. 2. 37.

Calumnia
Jesuitarum
de Impera-
tore.

§. 40. Ubi duæ abiissent hebdomadæ nostræ in Schotvien detentionis, ecce! advehuntur eodem loci in Oppidum sub Arce positum, plures ex Captivis, in videlicet, quos miserima hætenus afflixit presensq; conditio Leopoldopoli & Comaromi. Istis nocte perinde intempesta ex Hungariæ carceribus eductis & per ambages multarum viarum atque flexuosos anfractus, prius Trenchium versus, post per Moraviæ fines in Austriam adeoque huc loci advectis, eadem mox die, quæ huc ventum erat, nos quinque Arcenses Captivi, junctis quatuor bobus ab Arcis rupe præcipiti in oppidum curru trahebamur ceterisque Christi captivis adjungebamur. Hic in congressu isto alter alte-

Religiosorum
Captivorum
ad Schott-
vien abdu-
ctio.

rum vix dignoscere potuit, ob vestitus scilicet miram non modo transmutationem, sed & faciei genarumque ex mœre contractam magnam contabefactionem. *Erasmus autem omnes in univ[er]sum hic congregati, (præter illos, qui adhuc in carceribus Sarvar, Kapuvar & Eberhardi relictî detinebantur) quadraginta & unus, Viginti quinque Helveticæ, sedecim autem A. C. addicti Pastores & Scholarum Rectores indiscriminatim.*

Capitivorū
militia Hi-
spanica sub
jectio.

§. 41. Quid porro fit? Tradebamur mox potestati cujusdam militiæ præfecti, ab eodem ad *Hispanicas Triremes* traducendi & abi-gendi. Huic nomen erat *Gemaner*, qui ex Austria oriundus antihac Decurionis duntaxat officio functus (ut à gregario milite percepimus) solâ Jesuitarum ope hanc Capitanei seu Centurionis provinciam adeptus est, eò quod stipulatâ iisdem sponderit manu, se eorundem votis non nimum vexando & affligendo responsurum, in quo & sedulam operam navavit.

Tragicum
iterationis
spectaculū.

§. 42. Nam circa vesp[er]am ejusdem diei, quæ feriis Annunciati-onis Mariæ dicata est, boni quique ab eodem in medium pedestris mili-tiæ rapiēbamur, mox ita in ordinem dispositi, unâ procedente, alterâ pe-ditum cohorte à tergo subsequente, vincti ferro pedem utrumque, crurete-nus, ad iter pedibus vinctis conficiendum multis adigebamur verberibus, pecudum instar pulsi aëtiq[ue]. Non hic militis sevi flexit animos ad ullum misericordiæ erga nos declarandæ specimen venerandorum Senum canities, non officiorum Spiritualium ante gestorū dignitas, non longa captivitatis miserandæ diuturnitas, non denique precum aut submissio-nis maxime, cum genu etiam flexione ut & multarum lacrymarum profusione facta oblatio. Tanta etenim adversus miseros incedebatur furoris vehementia, ut licet nox jam ingrueret tenebricosa & illunis, necnon plu-via multis nivibus permixta accederet, non obstantibus tamen his itin-eris difficultatibus, altissimi montis cacumen, quâ ex Austria in Syriam datur transitus, transcendere, eodemq[ue] temporis nocturni articulo per montes valles & convalles tria emetiri milliaria cogere[mur]. Hospitiū sa primâ nocte exceptis nimumq[ue], fatigatis non trium horarū spatium ad quiescendum concedebatur, victualibus prorsus denegatis & subtractis. Confestim namq[ue] primo diluculo sequentis diei à profundo excitati somno adque oppidum primum Styriæ, nomine *Mertzyschlag*, pulsi, tam dirè affligebamur, ut spatio unius illius noctis & dimidiæ postere diei, pedibus constrictos ferro duro & gravi septem milliaria conficere oportuerit. Rem in auditam, nec Turcis ipsis unquam approbatam, nedum solitam!

§. 43. Ad dictum oppidum, cum circa meridiem perventum fuisset, viso militiæ Præfectus, Captivos Christi cum milite pari passu & celeritate haud incedere posse, multis etiam ad sanguinem usque inter labandum verberibus adactos potissimum Senes decrepitos, alterum pedem à vinculis solvi curaverat, uno tamen porro iisdem constricto relicto. Jam tum plerosque calceamentis destitutos, discalceatos incedere & proficisci oportuit, destillantibus subinde ex allisione pedum guttis sanguineis, necnon pustulis & tuberibus variis intumescantibus.

Solutio circolorum uno pede

§. 44. Sic uno pede soluti tertiâ post die pervenimus Brugam, quæ est ve Urbs ad Muræ flumen posita. Inde quoniam secundo navigandum erat flumine versus & ultra Græcinum, Styriæ metropolim, ad oppidum usque, cui nomen Herren-Haus, captivi cogebantur Remigibus seu Nautis florenos pendere decem. Postridie in aridam è navicula progressi pertransitis Syriæ finibus Marpurzum versus ipsa dominica die, quæ Judica appellari solet Celam, quod oppidum est Carinthiæ, pertigimus. Sequenti die, ubi per valles, saxa & montium juga iter esset faciendum, rursus eodem modo à milite saxo in nos defavatum est, veluti primâ illâ nocte, cum ex Austria in Styriam pelleremur. A continuis enim pluviis & imbribus multum madentes nocte intempestâ, versus Labachium, quæ est metropolis Carinthiæ, iter nos facere oportuit, unde senio confecti nonnulli tantum non in via deficientes ultimumque spiritum emittentes, morbis variis correpti, pedum præsertim tumore indies accrescente, ultra pagum Potpecz dictum nullo prorsus modo progredi valebant.

A captivis pecunia exorsio.

§. 45. Hic Præfectus summæ iracundiæ percitus æstro: Conducite vobis, inquit ad morbos, vos nebulones, si potestis, equos, quorum beneficio Tergestum usque deportemini, nisi id feceritis, aliter mox vapulabitis. Quinque igitur agrotantium conductis ære proprio equis bajulabantur, cæteri verò eò, ut prius, modo ultra agebantur. Labachio à tergo relicto per salebrosas ejus Provinciæ vias, ubi præter saxa rudesque nihil aliud conspicere est, stimulante non parvâ siti ob defectum aquarum cum captivos, tum etiam ipsos milites, venimus postridie Senofeczinum, oppidum tribus Tergesto milliaribus. distans. In hoc oppido annos ante septuaginta præsentis hujus seculi tempore Styriacæ & Carinthiacæ Persecutionis, quidam M. Paulus Odontius Pastor ab Aulicis Concionibus Comiti à Bindischgratz etiam post longam captivitatem suam ad Triemes tandem condemnatus & hucusque deductus, singulari Dei

Captivis agris conducere equos conceditur.

Vid. tractat M. Christ. Fagers, cui titulus Europa, Asia

& Africa Weltbeschreibüng.

M. Paulus Odontius.

ope & auxilio manus suorum Persecutorum effugit, uti videre est in Historia suae captivitatis ab ipsomet descripta.

*ira Capti-
borum Ter-
gesti, morti-
ficatio, &
enecatio.*

§. 46. Senofecio discedentes sequenti mox die appulimus Ter-
gestum, quae ultima urbs est ditionis Caesaris in Carniola portu Maris A-
driatici clara. In hac urbe miles incredibilem in Captivos mox evomere
cepit furorem, adeo ut iterum tyrannicam ejus crudelitatem orationis
meo penicillo haud depingere queam. Nam in Suburbio foetidissimo cui-
dam stabulo inclusos primum vestibus, apud quos forte adhuc meliores
videbantur, exuebat, dein pecunia per omnes corporis partes adeoque ipsa
pudenda & (sit venia verbo) nares quasi spoliabat, tandem barbas co-
mitem, quas prolixas pro more Genis aiebant, capitis sui ornamentum,
ut piter abradebat. Erat haec dies Saturni, ipsam ante Dominicam, quae
Palmarum dicitur, dum talia, in nobis patrarentur. His peractis expila-
tionibus & spectaculis, nondum tragediarum finis. Antea Captivos toto
hujusce itineris tempore ab oppido Schottvien usque huc loci proprio sibi
victualia sumptu comparare oportebat, (qui sumptus maxime exiguis
tribus praeter propter ante nostri ex Hungaria abductionem septimanis,
quibus nos, quod antea prorsus non licuit, accedebant, a nonnullis Pa-
tronorum eleemosynae loco erat in nos collatus) at ubi jam omnia ab-
repta fuissent, tres dies continua fame a Dominica Palmarum usque ad
Mercurii diem mortificabamur, ne buccella quidem panis nobis porrecta,
his illusi insuper fannis & convitiis. Canes Lutheranos ita jejunare decet,
Hinc factum, ut praefame & inedia accedente semper majore atque majore
re pedum nimis vulneratorum tumore, octo brevi post, ut recensibimus,
in Regno Neapolitano ultimum diem obierint. O crudelitatem ab homi-
num memoria nunquam auditam! Jam jure & merito hunc in modum
queri potuerimus: Ita expilati, ita spoliati sumus, ut non pilus manserit
residuum. Non certe tanta Turcarum est in sua mancipia crudelitas, illi
suos captivos corporis decore, quod barba est, haud privare, illi morbo affe-
ctos curare, illi denique captivis alimenta subministrare solent. At miles
hic Papista haec omnia vel negligit, vel deterius agit, illo Rege Ammoni-
tum Gentili longe deterior, qui Davidis Legatos tantum dimidia-
rum barbarum abrasione dehonestari praeeperat.

§. 47. Porro ipso die Palmarum quid non tentat miles? Afferuntur in
aream illarum aedium, quibus custodiebamur, vestes militares. Tunc Ve-
xillifer mox Captivos e Stabulo evocare, evocatos nominatenus conscri-
bere, conscriptos ad induendum vestes compellere. Jam nonnullorum
anno

2. Sam. 10, 4

Captivorum
ad militiam
implet an-
dam, con-
stitio.

annotatis nominibus, quidam Pastor H.C. nomine Fileky, vestem seu tunicam militarem induerat, cum ecce clamor à cæteris exoritur Captivis eum id facere prohibentibus. Tum factâ protestatione solenni ego sic ad Vexilliferum: *Generose Domine, Quâ fini hæc nobis vestimenta obtruduntur: Ait is, ut mutato vestro priori statu militarem assumatis. Itane ergo, inqueiebam, gloriosum Sacratissima Sua Majestatis nomen & famam prostitui, ita diminui jam videbimus, dum miseri & penè emortui Senes Prædicantes stipendia mereri apud eandem cogentur? Fortè jam non haberi copia potest aliorum. Quid judicabunt homines, qui hæc indigna de Sua Majestate audient?* Auditis his supersedit illico hocce negotio, adventum Capitanei præstolaturus. Hic post moram superveniens, simulac intellexisset suam in effectum haud esse deductam intentionem, tantâ exarsit irâ, ut arrepto prægrandi baculo seu fuste Pastorem prænominatum, qui vestes jam sumserat, sed mox rursus abjecerat, ad sanguinem usq; percussisset, hæc verba addendo: *Expectate modo vos Nebulones nequissimi, hæc facere non vultis, mox duriora experiemini.* Tunc stabulo vicissim inclusi famem & inediam cum frigore maximo patiebamur. Tertia post die, quæ Lunæ erat, mittunt Captivi nonnullos è sui Consortio ad Præfectum militiæ, sciscitatum, cujus indultu, cujus jussu & autoritate hæc similia in nobis patrentur? Respondit iisdem his verbis: *Vos nebulones, non jam tanquam Rebelles, sed tanquam Contumaces à Casarea Majestate traditi estis Koloniczio, qui potestatem habet agendi vobiscum, ut libuerit & placuerit.* Hinc ab eodem meas ad manus estis commendati, quibus ego sanè bene velim, sed vos mea spernitis consilia. *Postridie ulterius transmittimini, nec à me ullam victus vestri provisionem futuram ob vestram Contumaciam vobis persuadeatis.* Hæc ad suos Consortes famelicos Ablegati reportabant.

§. 48. Eadem die seditio inter milites orta est, adversus Præfectum suum. Tum enim demùm ad eorum aures rumor pervenerat, se non amplius Casariana (uti hæctenus sibi persuasi erant) sed Hispanica mereri stipendia. Hinc Præfectus majorem metuens tumultum perendie mox captivos non tantum, verùm & milites navibus imponit. Hic quàm miserabilis Captivorum fors fuerit dictu difficile est, Nihil dicam de loci illius squalore & fetore, ut carceri sordidissimo fuerit perquam similis, nihil de continuata porro fame & siti, hoc unicum adjecero, non ad exonerandam alvum, nedum pro reficiendis viribus

Pastoris cu
judam per
cusso.

Autor affli-
Et nonum
Koloniczio.

Captivorum
in Navim
decurso.

*Jesuita cu-
joudam ad
Captivos
adventum.* ribus refocillatione ve ad auram captandam foras exire licuit. Hinc tantus pectorum sudore ortus, ut de superis descendentes ad nos militum nonnulli contignationibus extemplo morbo corripentur. Ea die Mercurii circa vesperam quidam e Societate nos visitaverat, qui compressis ob factorem nimium naribus hæc ad nos verba faciebat: *Quid facitis mei Amici? daturne vobis facultas egrediendi, ad an-
ras? Reliquis nulla responsione eum dignantibus dicebam: Pater Reverende, egrediendi ad auras, neq; ingrediendi aut quicquam in os conjiciendi facultatem habemus. Hæc enim jam quarta agitur dies, a quo fame contabescimus & tantum non extinguimur, nihil edulii percipientes. Non erant fortean pro exanimis Captivorum cadaveribus sepulcra in Hungaria, ut piscium escam marinorum nos fieri oportuerit.* Tunc Jesuita: *Itane est, quod nihil tam diu comederitis? Non secus se res habet, dixi, roget dominum Capitaneum, & rem comperiet. Mox factâ nobis de procurandis victualibus promissione abibat. Procurata igitur ab eodem hæc in navi diurna alimenta: Una scilicet simila panis biscocti quartam pondo partem vix adæquantis cum aqua sextario. Interdum casci frustellum exiguum aut unum pulmenti cochlear, lactentis infantiuli more, nobis singulis porrigebantur.*

*Velificatio
navium &
maris pro-
cella.*

§. 49. Feriarum Paschaliū altera portu solutis anchoris navis (quinque autem repletae erant ipsissimo milite) velificationi committebantur, sed vento admodum contrario. Nam proximè sequentis diei vesperâ tanta oborta procella est, ut totam noctem continuis undarum jaçtata naves fluctibus tantum non passa fuerint naufragium. Hoc Praefectus experiens periculum paulò mitius tractari Captivos præceperat, de uno etiam vini imposterum porrigendi pocillo providendo iisdem singulis. Post decem & quatuor dierum navigationem præterlabentes, Insulam quendam ignotam ad portum *Piscariae*, quæ est *urbis Regni Neapolitani* sex à littore stadiis remota. Hanc cales, in antedam expositus, ingrediendo, Captivos eodem modo & ordine, ut ante fieri solebat, secum abducere, quatuor cohortibus seu centuriis (cum ante duæ duntaxat nobiscum fuerint) munitos rursus miserabiliter tractare, verberibus continuis incessere, fame & inedia enecare, subsannationibus denique laessere.

*Dirum Ca-
ptivorum
semimortu-
orum spe-
ctaculum.*

§. 50. duo Captivorum H. C. *Miscoley* & *Corodi Pastoreti*, in littus expositi, loco se movere nequibant, jam ferè semimortui quorum posterior hic duorum *Concaptivorum* humeris suffultus versus *Cro-*

tatem portabatur, alter verò ille non ob corporis duntaxat totius enervationem, sed & potissimum ob nimiam pedum inflationem, qui jam in navi non parum foetoris creabant, gausape impositus, urgente milite cadaveris exanimi instar à cæteris quinq; captivis miro & diro spectaculo versus mœnia Civitatis bajulatus, magno risu & cachinno ab incolis passim edito, unà nobiscum publico cuidam Carceri ibidem loci includebatur. Inter eundem & labandum bajulatoribus quidam nebulo miles cognomento Soyka origine Austriacus plurima dedit verbera, mihi verò potissima, ubi cæteri per vices ab aliis permutatione, sublevabantur mihi id prorsus denegatum est. Tali spectaculo in Carceres Piscariæ detrusi, ubi miles cibo & potu lautiore suas vires recolligebat ex navigatione debilitatas, Captivi fame & siti magis magisq; enecabantur. Tres etenim duntaxat nummi ærei singulis in dies (neq; tamen id semper fiebat) porrigebantur pro comparandis sibi victualibus, quibus tamen vix trium bolorum panis, quo infans nutriatur, emi potuit.

Miles Soyka

Victualia
Captivorum
in Regno
Neapolitano.

§. 51. Tertiâ abhinc die, qua huc ventum est, Captivi esurientes è carceribus evocantur moxq; ad iter circa meridiem versus Theatas faciendum compelluntur, sex agrotantibus & jamjam morituris curru eò loci deportatis. Est urbs hæc splendidissima in eminentiore monte sita, ubi exiguo pane refectos Captivos Colonellus seu totius Exercitus summus Capitaneus accedens, talibus verbis eos allocutus est: Jamne vultis esse Catholici & nostram amplecti fidem? Datur vobis adhuc optio quemcunq;, prout libuerit, statum eligendi sive Clericalem, sive Secularem, sive Militarem. Captivis autem nihil adhuc respondentibus, nondum vos, inquit, vultis meliores esse, sed brevi vos edocent bunt Triremes, quid sit Fides Catholica? Tunc ego reliquis ad hæc tacentibus, metum periculi commotione animi superans mox ad Generalissimum: Excellentissime, inquam, Domine, nos bene novimus, quid sit Fides Catholica, idq; ex Athanasii Symbolo: Credimus sane nos in SS. Trinitatem, in Deum Patrem, Filium & Spiritum S. Id quod credit etiam Ecclesia Catholica. Deinde credimus nos in JESUM CHRISTUM, quippe nostrum unicum Salvatorem & Redemptorem, qui ex Beatissima Maria virgine natus, passus, crucifixus & mortuus est, tertia die à mortuis resurrexit, adscendit ad cælos, unde venturus est judicare vivos & mortuos. Credimus, inquam, hæc omnia nos: id quod credit etiam Ecclesia Catholica. Porro nos sumus baptizati in nomine Patris, Filii & Spiritus S. adeoq; hoc modo implantati sumus Corpori Ecclesie Christi Catholice.

Tentatio Captivorum à Colonello Theatis facta.

Fidei Catholicae descriptio brevissima.

Questio de Papa. *ibolica, quod quidem nos firmiter credimus juxta doctrinam Ecclesie Catholicae. Si ergo haec omnia credimus, quae credit etiam Ecclesia Catholica, sane optimè novimus & scimus jam, quid sit Fides Catholica, imò habemus veram Fidem Catholicam, & per consequens non Heretici, sed verè & genuini sumus Catholici. Hec omnia si excipiens adstantium quidam Jesuita, sed quid, ait mox creditis de Papa? An is caput sit Ecclesiae? Respondi, nos Papam relinquimus in suo Esse, nihil hac de re in praesentiarum dicturi, eo quod constrictis ferro pedibus, linguam nobis quoque constrictam esse oportet. His auditis Colonellus omnesque, qui cum eo aderant, abierunt.*

Visitatio Captivorum ab incolis Theatensibus.

§. 52. Brevi interposita morâ his abeuntibus mox alii superveniunt (dicebatur autem esse Civitatis Praeses cum duobus Jctis) eundem ferè discursum moventes, sciscitando ex nobis, quid Credamus. Exposita autem eisdem ad eundem ferè modum doctrinam nostram & fide, rogant tandem, quid sentiamus de Purgatorio? Respondente uno ex nobis, Samuele Nikletio A.C. Pastore Uybanensi prolixioribus verbis, nos nullum statuere Purgatorium, eo quod duo tantum loca sint post mortem, Caelum & Infernus, quod constat ex Historia divitis & Lazari, quorum ille in infernum detrusus, hic verò mox post ultimas fata in caelum receptus, subiciebam ego tandem haec verba: Generosi domini, satis nos modo habemus Purgatorii in praesenti hacce vitæ, & reverà hactenus purgabamur integrum jam annum per varios labores, per verbera, per famem & sitim, per durissimos labores & denique per haec vincula, quibus nos constrictos tantam inera hucusque emetiri oportuit. Quibus omnibus si non sufficienter perpurgati fuerimus, purgabimur tandem, imò jam purgati sumus sanguine JESU CHRISTI. Nam reverà, ut S. Johannes dicit: Sanguis Jesu Christi emundat nos ab omni peccato, & quidem in hac, non in futura vita. Audiebant haec summâ cum admiratione, moxque oblatis nobis nummulis aliquot aereis & hi abibant.

Sex Captivorum semimortuorum Theatensis emissio.

§. 53. In hac urbe Theate dicta, reliquis ad ulterius proficiscendum coactis, sex illi egrotantes Captivi relinquebantur, cum neque curru ulterius vehi (nullus quippe hac in clivosa montosaque & petrosa Regione curruum, nisi forte ad maris littora, solum usus habetur asinorum in transportandis de loco in locum oneribus) neque asinis portari potuissent, jam semimortui. Omnes isti H. C. addicti erant Pastores, quos inter praecipui erant Johannes Harsany Rimasabarensis

ensis & Michael Miscolcy Filekiensis, quorum huic posteriori pes tumore horribilis nobis abeuntibus genutenus jamjam abscindendus erat,

§. 54. Reliqui porrò per montium juga perq; valles & con-^{Accessum ad}valles quinque continuis diebus proficiscendo & saepius quadrupedum ^{oppidum} instar ab uno oppido ad alterum gradiendo & rependo (*oppida enim Capra Cottam & Civitates fere omnes in altissimorum; & inaccessibilium montium cacuminibus sita conspiciere est ibidem locorum*) tandem 29. Mensis Aprilis Capra Cottam pervenimus. Distat hoc Oppidum in eminentissimo monte situm sex plus minus Neapoli milliaribus, ubi jam perendie ad Triremes tradendi eramus.

§. 55. Eadem die, qua Capra Cottam perventum est, quidam ^{Tyrannica} Gregorius Hely A. C. Pastor jam a multis diebus ^{duorum Ca-} dysenteria laborans ^{ptisorum} asino haetenus portatus, ^{in itinere} Captivis duobus, (urgente eos ad id milite) nos magis mortificandi gratia utrinq; a lateresubinde eum suffulcientibus ^{ex hac Sita} aq; lapsu prohibentibus precipiti quonem in loco utro ^{sublatio.} Auxiliatorum animadvertente (altera enim manu ferrum suum, altera agrum tenere eos oportebat) in terram prolabitur, & subito moritur: Qui humi prostratus, exutis, quas habebat, laceris vestibus tunica & Chrysia seu gausape, seminudus adeoq; insepultus media in via canibus sine dubio escam futura relinquitur. Simile quid alteri, cui nomen erat Michaeli Gosch, Pastori A. C. Kalinoviensi, jam post meam Liberationem prope Neapolim ad oppidum Avers, accidisse, famam percepimus.

§. 56. Capra Cottae ejusdem diei, qua huc venimus, vespere ^{Vinculorum} exorabatur militia Praefectus a Captivis per officialem quendam, ^{totalis ex} qui Geldwebel appellari solet, causam ^{altero etiam} vinculorum altero quoq; pede jam ^{pede solutio} tandem solvendorum, dicendo eidem, nostri misereatur, ne forte omnes ^{Capra Cottam} brevi, eo modo ut hodiernus ille Captivus, extingveremur interempti, ^{ita obienta.} Misertus est tandem mei unus & solus, cum eadem vespere compedes mihi demi praecepisset, ceteris omnibus frustra de eo laborantibus. Postero tamen die, quem totum ibi agere miles (etiam fessus) decreverat ceteri quoque Captivi multis precibus ^{idem obtinuerunt be-} neficium (si ita dicendum est) ut & iis vincula pedibus decernerentur.

§. 57. Quamquam verò omnem humanitatis naturam miles ^{Constantia} hic exuisse visus sit, tantum ut Jesuitarum votis afflictione nostri ^{Captivorum} fieret, si tandem vel ex ipsa desperatione ad eorum castra nos desciscere ^{Christi lau-} re viderent, Deo tamen vires suppeditante, non unicus repertus, qui de ^{dabilis & e-} Apostasia tantum cogitasset, nedum Christum abnegasset. Ceterum ni- ^{orum votum}

hil magis in votis nos afflicti habuimus, quàm ut medium reperiatur ab Omnipotente Deo, quo hæc ab hominum memoria nunquam audita Crudelitas & Tyrannis Christiano orbi in apricum produceretur, siquidem nemini, uti ipso Captivitatis nostræ tempore (si tres illas septimanas excipias, quibus Æquivocationum Jesuiticarum studio ante nostri ex Hungaria abductionem, nos accedendi concessam fuisse facultatem supra dictum) ita & in hoc plus quàm barbarico itinere, non habito respectu, quod jam medio in Papatu fuerimus, nos adeundi, nedum nobiscum conversandi concedebatur facultas, cujus in finem nostrarum calamitatum injurias effundere potuerimus. Quid? quod in Regno Neapolitano Veneficorum & Magorum instar traducti, diffamati & prostituti fuerimus, qui ubera lactantium exciderimus variâq; fascina cum veneficiis exercuerimus & ob id comprehensi in vinculis habeamur, mox ad Triremes damnandi. O scelus omni impietate crudelius!

Traductio
Captivorum
Christi.

Mitior er-
ga Lani
Captivum
militis cru-
delitas.

§. 58. Hæc in genere de forte Communi omnium Christi Captivorum. Quod me attinet, fateor ingenuè, quod in molestissimo hocce itinere, plusquam barbarico & Tyrannico signa alicujus benevolentie militaris, uti ante etiam in omnibus carceribus, mihi experiri licuerit, quod vel ex eo constare potest, ubi aliis omnia, quæ possidebant, partim in Carceribus partim Tergesti abriperentur, mihi omnia, quæ habui, sarta tecta, ipse quoq; vestes Germanicæ, tunica & pallium, mansere; ast ubi plurimas me ad apostasiam seducentiû, blandas svadelas à me sperni, susq;ve deq;ve haberi animadversum fuisset, tunc in me ante alios plurimum cum in Navi, tum residuæ profectionis tempore, quò Neapolim versùs à portu Piscariæ ducebamur, sevir miles incoeperat, sepius inter eundem multis me afficiendo verberibus, usq;ve dum J E H O V A H ex alto mei tandem misertus, me secundùm suam ineffabilem misericordiam & singularissimam Providentiam ex horum Persecutorum potestate mirabiliter eriperet, Captivorum sic gemitus & suspiria seu vota ex parte exaudiens, cujus miraculosæ Liberationis modus sequenti sectione jam enarrabitur.


S E C T I O IV.

A N A L Y T I C A,

In qua recensetur modus atq;ve Processus Miraculosæ LIBERATIONIS.

§. 59. Con-

§. 59.


 Onfectis jam plus minus *tercentum milliaribus* Germanicis, posteaquam veneramus *Capra Cottam*, perendie Neapolim nobis jam perveniendum erat. *Primâ* igitur *die Mensis Maji* orto Sole sed nubibus obtecto, Captivi compedibus lumbos præcincti, pedes tamen jam soluti itineri se accingunt, rapti in medium quatuor cohortium. Jamque à dicto oppido *Capra Cotta* octo aut novem abfuimus stadiis, cum ecce! per jugum montis illius profecti venimus à sinistro latere *ad locum quendam declivem, sylvâ rarâ distinctum*, ubi callis, quem tenuimus, in diversum sectus atque *bisulcus* conspiciebatur, alter admodum *tritius*, quem miles & captivi sequebantur, alter verò sinistrorsum vergens paulum *vetustior gramineq; obsitus*, quem calcabat nullus. Hunc ego conspiciens, non tam fugiendi, quam cæteros concaptivos antevertendi studio mox arripio, ne fortean ultimus profiscens *Militi* meum exporrigam tergum percutiendum, à quo singulos in dies imò horas multi vapulabant, Clamorem ejusdem plus quam *barbaricum* (*Marchier! Marchier!*) toto eo itinere non secus ac *celestina* quoddam frequentissime editum, magno cordis cum gemitu & dolore inter eundem & labandum audientes. Hoc tramite paulum progressus, ab altero vix septem pedes distincto *cum saxum quoddam*, quinque non minus plusve ulnas latum altumque duabus hisce semitis interjectum celeri gressu præterire vellem, ecce! præter omnem cogitationem meam expectationemve, ex insperato sistere me gradum oportuit. Nam *caligis*, quas gessi, germanicis, *spinas proximi vepris infixas & affixas* necnon veluti *data operâ alligatas adherentesq;* comperio. Has cum nullo pacto in tanta celeritate admotis etiam palmis avellere potuissem, mox circumspicio, utrum quis me sequatur, eandem premens *Semitam*? Nemo fuit, qui callem eundem secutus, me ibidem loci hæere atque subsistere animadvertisset. Tum extemplo rupi meum applico corpus, ne fortean conspiciar, præter tamen euntem ex quatuor centuriis militem à fronte & à tergo (jam enim proximo loco calles conveniebant in unum) directè contueor, femoralibus porrò eidem *spinæ inherentibus*, quæ demum, ubi lento omnes præteriissent pede, non exigua panni rupturâ *factâ*, per vim revulsi.

*Liberatio
prima Maji
ad oppidum
CapraCotta
disinitus
facta.*

§. 60. Sic divinâ & prorsus admirandâ *Supremi Nummis* providentiâ manibus *Persecutorum* meorum me subducens, non parum *dubitatio
animi de i-
tinere ar-
animo rpiendo.*

animo gestire cœpi, mox ejus montis transcendens verticem, à dextro latere, cito pede, dolore jam præterito, in vallem proximam descendendi, ubi repertâ viâ *diu apud me hesitavi, cogitabundus, quo me vertere debeam*: Tandem orientem versus, quâ Hungariam respectu eorum Regnorum sitam esse antehac sciveram, rectâ proficisci animo meo constitui. *Verum enim verò quantis eadem mox liberationis meæ die obnoxius fuerim periculis, horret animus imò stupet lingua tremente referendo.*

Primum
Periculum
à Milite
Persecuto-
re in proxi-
mo prato
offenso, pri-
ma libera-
tionis die,

§. 61. Profectus enim cum gaudio atque tripudio, trium vel quatuor horarum spatio veni ipso meridie ejusdem diei ad oppidum quoddam ad radices collis non adeò excelsi situm. Hoc à sinistris positum præteriens ulterius ad duos vel tres lapides progredior, ubi aliquot casas Rusticorum colle sub eodem reperio. Quid fit? Cum ultimam harum accessissem casularum, voce Deum celebrans, ecce! ex improvviso sublatis meis oculis video cominus in proximo case adjacente prato Militum catervam, alios quidem pro sumendo prandio sessiones suas & discubitus jam aptantes, alios autem ab altera ejusdem casulæ, cui ego abstabam, parte, coram vultu meo proximè transeuntes, adque discumbendum in prato properantes. *Hæreo attonitus contemplanus eosdem, (qui tamen me suo in conspectu positum, occæcati procul dubio, minus conspiciebant) tunc animi valde dubius anxiusque prius quid arripiam nescio, cum neque prorsum neque retrorsum tanto mihi progredi liceret. Non enim unius lapidis jactu ab invicem distinguebamur.* Accedit interea me Rusticorum quidam, quem miles vice hodogetæ seu ductoris habuit, quemque ego Capro Cottæ me vidisse imaginatus eram. Hic Italico usus idiomate me percontatur, quò vadam? Fluctuans animo, Romam, respondi. Vin igitur, ait, conducere asinum? Dixi, minimè, nulla enim mihi moneta seu pecunia est.

In fossam
quandam
descensus
vel sui præ-
cipitatio.

§. 62. Recedit Rusticus, miles autem residuus porrò pertransit præteritque, quem tamen ego nondum probè ob summam animi mei consternationem cognoscere potui, sit meus Prosecutor, an alterius alicujus Regiminis? Hinc tanto expositus discrimini *callem video à sinistris, collis illius verticem versus protensum*, hunc seqvor, & verò quia monticuli latus in propatulo erat militum conspectui, non consultum fore putabam fastigium usque conscendere. Vix igitur à casa, cui adstiteram obstupefactus, decem passus progredior, ubi ecce! divinâ,

ut ajunt, Virgulâ, foveam quandâ à latere tramitis sinistro reperi, quatuor præter propter ulnas profundam. Huic foveæ insiliens protinus humi procubô, valetudinarii speciem representaturg, Humi jacens video illicò secundum eam semitam prætereuntes Rurícolas, militi commeatum apportantes, qui licet in fovea jacentem facile me conspicerere potuerint, nulla tamen in transitu suo (veluti nemine viso) ad me verba fecerunt. Brevi post audio passim cursurantes milites prædæ alibi acquirende studio, quorum in eodem ad casam loco, ubi ego steteram, de ambulantium perceptis atque intellectis articulatis vocibus, ut & duorum ex captivis voce auditâ, (qui hæc alter ad alterû verba faciebat Hungaria: Szomodi Uram, Szomodi Uram, h. e. Domine Somodi: Cui is, Mit akart Kegyelmed? h. e. quid vult vestra Dominatio?) panico percussis eram terrore, intelligens tandem præstô meum adesse Persecutorem. Cæterum Deo sic gressus moderante militis & volente, nullus militum fuit, qui collis illius tramitem vel transversum digitum calcasset, aliàs impossibile erat, quin conspectus in fossa confestim comprehenderer.

III. Periculum à Rusticis transeuntibus.

Vox militis Persecutoris & Captivorum duorum, audita.

§. 63. Per brevi interjectâ morulâ tympana pulsantur, quorum sonitu audito rursus ad me redire, palpitansque ex metu periculi cor compescere pergo, sciens dato jam signo eos actutum ultra profecturos, quod factum etiam. Interea abeuntibus & discedentibus militibus turba colonorum eadem semita, ut jam dictum, quæ huc appulerat, domum se recipit. Tunc primus eorum, qui præcedebat, sude instructus præusto, me in fossa jacere viso, quid tu, inquit ad me, hic jaces? cur non cum ceteris proficisceris? Me verò ad verba sua mutiente & vix præ timore hiscere auso, is gestibus adhibitis, mox baculo, quem gerebat, ictus capiti suo intendere, mihiq; innuere, nisi abiero, fore, ut vel ab iisdem, vel potius à milite vapulem comprehensus. Ast ego complicatis palmis inque altum extensis, gemebundus adeoque lacrymabundus supplex eos exorare, attrectansque caput meum sæpius & cæteras corporis mei partes, me summum in modum egrotare iisdem notum facere & innuere satago. Illi gestus meos miserabiles contuiti mox tantâ erga me Dei beneficio tanguntur misericordia, ut eorum adminiculo non modo scrobe hac extraherem, sed & reliquiis, quas habuere, ciborum, mihi à se porrectis reficerem. His saturatus cum fuisset, percontabantur ex me quorsumnam tendere velim? Pendens animi respondi, Romam, ostenditur igitur mox iter mihi Romam versus ducens, id scilicet, quæ huc loci appuleram.

IV. Periculum ab iisdem Rusticis domum revertentibus.

V. Pericu-
lum primū
liberatio-
nis die in
Oppido quo
dam, ubi
captus, sin-
ctus, retra-
ctus, deten-
tus, moxq;
iterum di-
missus.

§. 64. Regredior, invitus licet, paululumq;ve progressus ad illud videlicet *Oppidum*, quod me duas ante horas præterisse dixeram, quodq;ve *miles* (me tum id prorsus ignorante) *pertransierat*, mutatâ sententiâ observandi itineris à Rusticis mihi ostensi (quorum proditionem metuebam) *hoc Oppidum ingredior*: ubi factâ mihi *muliere quadam* obviâ, multum hæsitans animo, quid occipere, quidq;ve rogare & *percontari* debeam, rursus *Romanum* mihi iter ab eadem ostendi atq;ve indicari postulo. Hoc vicissim iter à tergo mihi ostensum dum repeto, & vix portâ pedem effero, ecce! *par Custodum Prætorianorum seu Licetorum*, clamore me obruit stentoreo, *ut subsistam*, vociferantes. Me vocem illorum quasi minus auditam dissimulante, *mox accurrunt, injectisq; in me manibus, bacillo, quo me scipionis vice, suffuliebam, dorsum meum percutiunt, tunc zona à pera, quam bajulabam, pendente rescissâ complicatis in unum manibus meis eas vinciunt, sicq; vincitum ad Prætozem, Civitatis retrahunt.* Confluit illicò multa turba ad spectaculum. *Judex* autem cum nonnullis forte Senatoribus *capto de me consilio, Nuncium mox ad milites jam tum ex prato, supra dicto, ubi præsi erant, ulterius profectos, expediunt, eisq; de me comprehenso & capto significandum præcipiunt.* Me intereâ temporis, dum *Cursor* cum nuncio dato, abiisset, foris ante ædes prætorianas huius mi sedere iussu, & à turba Civitatis circumstante custodito, *accidit, imperscrutabili Dei beneficio, ut post exiguam morulam Nuncius mox rediret, militemq; de prato, jam abiisse referret.* Quid ego ad hæc? Relatione *Cursoris* auditâ atq;ve intellectâ, ubi *Judicem* cum cæteris de me ulterius consilium capere animadvertissem, *poplite flexo iisdem rursus precibus & gestibus, ut ante horam Ruricolis, cum lacrymis eosdem obtestari dimissionemq; rogare incipio: quam etiam, Deo & horum corda emolliente, tandem impetravi.* Difficultatem quandam eisdem injicere visum est *ferrum Compedum*, quibus me lumbos præcinctum, contuebantur. Nam magnâ cum admiratione scilicetati, quid hæc res sibi velit, à me cognoscere cupiebant. Quibus hoc dederam responsi: *Me equidem in numero Captivorum, quos viderunt, fuisse, qui nescio ob quam fictam Rebellionem capti modo ducuntur Neapolim, ibi ad remos condemnandi; Ast cum ob infirmam valetudinem jam ultra progredi me hand posse miles animadvertisset, spontè ab eodem in itinere derelictus & omisus, nunc in Patriam Hungariam redire vellem. Cum verò iter, quâ redeundum mihi foret, prorsus ignorem, Romam prius proficisci in animum induxi meum.* Dant fidem dictis Prætor & cætera

Compedum
retentio.

adstan-

adstantium turba, moxq; solutis manibus, ostensâ mihi viâ Romanâ, neq; ullâ Religionis mee factâ mentione, Catholicus sim, an Hæreticus? (quod nes impostero e itinere periculofissimo ullibi locorum mihi accidit) me abire jubent, dictis his verbis Italicis: *Lassa passare.*

§. 65. Eo igitur claudicans & veluti maximè eger, exemplum David fugientis Saulum, coram Achis Rege imitatus, usq; quo Oppidi potueram contueri superficiem, quâ ab oculis meis sublatâ, relicto rursus itinere Romano dextrorsum deflectens, montem illum, qui me inter militemq; proficiscentes antea interjectus erat, præpete transmitto gressu, tunc iter, quod miles calcaverat, pertransiens, ubi ejus etiam vestigia conspiciebam, abjecto in proxima sylva ferro, aliam viam, neglectâ Romanâ, à qua multum abhorrebam, ut & ejusdem conspectu, passim per valles & convalles quæritabam. Qua repertâ ipso demum ejus primæ diei, qua liberatus evasi, vespere, conspicio in profundissimâ valle, virum quendam, domum redeuntem, cujus adjungens me lateri ingrediior Civitatem monte in Excelso sitam, cui nomen *Pesculus Langnoni*, ratus me ab hocce Comite hospitio exceptum iri. Verum enim verò cum in more positum sit apud omnes *Hispanos Italicosq;* nullam fere peregrinis declarare hospitalitatem, ea propter hic quoque itineris mei comes Urbem unâ mecum ingressus, necnon hospitii causa à me exoratus, aliorsum deflexurus, plateam duntaxat ostendit mihi, quâ mihi ad Xenodochium (sive ut illi appellare solent, *Hospoda* vel *Hospital*) sit eundum. Pergo igitur, primam à comite passus repulsam, & in plateam tandem Xenodochialem pervenio. Jam proximus eram Xenodochio, cum ecce de repente ex improvvisoq; militum video cohortem coram vultu meo, in proximo suas agentem excubias diversorio. Accedo, saluto, transeo, nec tamen ab iisdem cognoscor. Erant horum duæ Centuriæ, à duabus illis, quæ Captivos eadem fortè die, Neapolim perduxerunt, separata, hic loci ob commodius Hospitium, quod ipsi Quartirium vocant, hac nocte diversantes. Cum jam Xenodochium ingressus eram è regione militum Custodiæ positum, ab Hospite multum metuebam proditionis causâ. Is enim ulteriore mei neglecto examine, ubi me Româ venire intellexisset, locum equidem hæsitanti mihi & multum lingvâ titubanti, ad quietem ostenderat, verum malè de me suspicando admirabundus discesserat. Fame stimulus nimiumq; fessus nullum tota hac primâ meæ Liberationis nocte somnum capere potui ob nimiam trepidationem & metum, tanto huic expositus periculo.

VI. Peric.
prima Deli-
ber. diei in
Civitate
Langnon, à
presente ibi
meo profe-
cutore.

1. Sam. 21. 11

mos Hispano-
rum &
Italicorum

Erronca
de itinere
Romano
percontat-
io.

§. 66. Cæterum postterâ die audito tympani sono augurari mihi licuit, nullam de me jam fore inquisitionem, quod & evenit. Ab-eunte enim milite alterâ portarum ego aliâ viâ porrò ad Solis orientem iter meum dirigebam, *obvios passim sciscitando, an rectâ Romam hae- catur?* Obvi autem verbis meis auditis non parùm mirari & de me, nescio quid mali, suspicari videbantur, tu, inqvientes, non Ro- mam tendis, verùm ab ea huc venire videris. Romam enim ibi ad Solis occasum sitam esse scias. Retrò tibi eundum est, si Romam petere velis. Hoc ego demum intellecto, *non amplius Romam, ve- rùm quasi abhinc redeunti, mare versùs, cum aliud sciscitari nescirem, quâ mihi eundum foret, posterioribus diebus, ex iis qui mihi occurre- bant, percontabar, idqve hac spe lactatus sed frustraneâ, (ut mox ap- parebit) navis tortè beneficio his ex regionibus quantocyùs ela- bendi.*

Clerus Hi-
spaniarum
& Italia
prorsus ru-
di Latini-
satis.

§. 67. Alterâ Mensis Maji Die perveniens in *Oppidum Sent Dra-* indultu loci ejusdem *Plebani Sacrificuli*, qui Latinitatis prorsus igna- rus & rudis, (*uti pleriq, omnes earum Regionum Clerici lectionis dunta- xat latine periti conspiciuntur*) vix petita mea intelligere potuit, *pane- ostiatim emendicato vires meas post longam perperam habitas famem reficiebam.*

VII. Peri-
culum à Sa-
cerdote
quodam
Latinitatis
rudi Cero-
nia.

§. 68. Seqventi die pergo *Caroniam*, ubi tempestate obortâ multum per valles & montium cacumina vagatus, vix ante vesperam ejusdem diei totus ex pluvia madens, eo pertingere potui. Hoc oppi- dum altissimo situm in monte cum intrare voluissem, occurrit mihi ante portam *Paterculorum* nonnullus, qui sic ad me, Prisciano licet ni- mium vapulante inquit: *Unde tu venire? Roma respondi. Fidem habes? Maxime subjeci, Catholicam. Literam volo, inquit ille. Non habeo literas, reponebam, quia easdem in itinere amisi.* Tunc is è vestigio: *Tu chertè sis Soldatus inquit. Hodie manè hic fuit Soldati, & duo capere, qui fugitivi, illos multum percutiunt, & unus mortuus.* Sed accepto à me responso, me non esse nec fuisse militem, verùm Peregrinum ho- minem, qui Româ redux ad Patriam suam *Poloniam* redire fatagit; post longam examinationem, tandem me missum fecit.

Duplex col-
loquiu. Va-
lex peractū
cum Clero
& Naucle-
ro.

§. 69. Die dominicâ, quæ Jubilate nuncupatur, *Freysâ*, per Oppidum iter faciens, pervenio *Gvastam, Urbem maritimam*, quam ingressus, nullo ad portas instituto mecum examine, adii ibidem lo- ci *Claustrum ordinis Dominici, eleemosynæ impetrandæ gratiâ.* Hic

Mona-

Monasterii Præpositus verba mecum miscens de quæ Poloniæ statu multum percontatus, tandem rogat, quomodo Cæsarem inter & Galliarum Regem se res habeant? Respondi eosdem adhuc invicem bella ferere. Subjicit is confestim: Istorum bellorum non alius autor est, quàm NOSTER PAPA, eò quod Nepotem ipsius in Cardinalium munerum cooptare recusat. Hæc dixit, abiit. Postero die, quæ Lunæ dicitur, Solis ante ortum Civitate egressus portum maris accedo, ubi tres Naves cursum Venetias versus jam solutis ancoris dirigentes reperi, moxquæ gratulabundus, Nauclerum alloquor, multis eum exorans precibus, me unâ navigare sinat. At is intellecto me Roma venire, unum ex Romanensibus Peregrinatoribus ratus, meis assurgere votis minimè voluit, idiomate Italico sic ad me locutus: *Fraterle, si tu peregrin, non per la mare, sed per la terra camminare (h. e. Ambulare) oportet. Age pœnitentia, pachienchia.* Hæc dixit, portu naves solvit.

§. 70. Spe mea sic frustratus, magno affectus mœrore, eadem horâ matutinâ, postquam aliquot æreos nummos à duobus ejusdem loci Studiosis (quæ heri mecum sermonem quendam instituentes, & nescio quid mali, de me suspicantes, militem fugitivum rati profectio-nem & iter Neapolim quoquæ, cum Romæ jam fuerim, suscipiendum, multis mihi persuasum iverant) mihi occurrentibus in ipsa Civitatis porta dono accepissem, Urbem Vastam relinquo, & aliam Orthonia dictam, quæ unius itinere diei Vastâ abesse dicebatur, in littore quoquæ Maris posita, petere contendo, navigandi porrò ibidem loci aliam quæ siturus commoditatem. Profectus jam unum ferè milliare, in sylvam quandam densissimam opacamquæ venio, ubi præter opinionem meam aberrans à recta viâ, prorsus omni tramite destitutor. Porrò tamen progressus, feram ecce! quandam coloris nigerrimi, speciem apris grun-nientis repræsentantem, meos ante oculos proximè, concitato cursu prætereuntem conspicio, & vix ad unius lapidis jactum, ubi ultrâ processissem, ingentem iterum percipio tumultum, quæsi multorum inter se pugnantium aprorum. Exanimatus ferè hoc strepitu mox pedem retraho, Orthoniaquæ, & navigatione posthabitis, tandem nolens volens Romam versus, quæ hactenus omnibus modis declinare volebam, tendere animo meo decrevi. Tunc quatuor aut quinquæ horarum spatio sylvam dictam passim errando pervagatus reperio tandem fluvium quendam, secundum quem aliquantisper ascendens vidi in altissimo monte turrim prominentem, quæ

Octavus in periculum partim à Studiosis Vasta partim à feriis Sylvestris 90.

Errabunda in sylva vagatio.

visâ mox conjicere cœpi, prope aliquam adesse Civitatem. Ita huic appropinquans turri repertâ circa ipsam vesperam viâ in *Oppidum quoddam* appuli, quod duob. *Gvastâ* distare milliaribus Hispanicis dictum est, cujus quidem ne nomen investigare mihi licuit.

Nonum pe-
riculum ab
Hospite,
q̄si literas
mandato-
rias ad ca-
piendum
milites fu-
gitivos ac-
ceperat.

§. 71. Eluriens enim nimiumq̄ defatigatus mox me in *Xenodo-
chium* recipio, quieti me traditurus. Cæterum quid fit? Vix me com-
posueram stragulo ad quiescendum, cum ecce! *allatas Vastâ literas ho-
spes* clara voce legit, me proximè humi cubante, somnum tamen si-
mulante, ronchis etiam editis: quarum literarum hæc fuere
contenta: *Sicubi fugitivum aliquis militem, vel quemcumq̄, tandem
literis salvi passus destitutum sive foris sive intra Civitatem deprehen-
derit, is defacto vinctus Vastam adducitor.* *Oeconoma* loci ejusdem
his auditis, non ego, inquit, hunc putaverim esse militem, cum habitu
sit ornatus *Sacerdotali*. Sinunt itaq̄ve me imperturbatum dormire, ne-
gotium sibi commissum cras fortean expedituri. Jam à *Studiosis* supra
dictis *Vastæ* audieram *Tabellarium* hodie *Neapoli* revertentem ibi
expectari, ut facile mihi persuadeam, me ab iisdem post suum adven-
tum fuisse proditum. Quid jam hic facere debeam? Implicitus mul-
tis formidinis retibus insomnem duxi totam noctem, moxq̄ ante di-
luculum omnibus adhuc profundo sepultis somno itineri me accin-
go, tunc portâ egressus, *Oppidis Santi Boni* (ubi in proximâ valle parum
abfuit, quin à quodam *Latrone* me invadente atq̄ve infestante vestibus
non modo exuerer, sed & interimerer) *Castellione* & *Rosa Spinalveti* pera-
gratis, tertia post die, quæ erat decimâ *Maji*, rursus præter omnem opi-
nionem meam, ad idem redii territorium, quod est *Pesculi Langnoni*, ubi
primâ *Liberationis* die mihi pernoctare contigerat.

X. pericu-
lum à La-
trone.

Undecimâ
& duodeci-
mum peri-
culum à Sa-
crificulo,
& Cive q̄sodâ
dat.
Langnonē-
si.
Reditus ad
loca eadem
ubi Libera-
tio facta.

§. 72. Hujus rei prorsus ignaro fit mihi obvius quidam *Sa-
cerdos*, qui simulac me eminus fuisset contemplatus, mox accedens hæc
ad me verba faciebat: *Unde venis? Tu jam semel hic fuisti.* Id autem
me negante & pernegante, *abi*, inquit, *abi*, certe capies tu fuit *Sol-
Cive* q̄sodâ dat. *Abii* itaq̄ve & post unius horæ intervallum Civitatem *Pesculi
Langnonē-*
si. *Langnon*, denuò post effluxis decem diebus, ejus rei inscius intro, ubi doma-
tim panem rogitans, cum accederem in foro quendam *Civium* preci-
puum elemosynæ causa, ab eodem cognitus eram. Is quam primùm
me intuitus est, unde tu, ait ad me, venis? Tu jam semel hic fuisti. *Erasne
Capra Cotte?* Minime, respondi eidem. *Hicne*, rogat porrò, *hac no-
cte manebis?* Subjunxi, maxime. Cæterum *insidias* mihi jam ab eo-
dem

dem poni animadvertens, ad portarum aliquam è vestigio me recipio, quâ repertâ, ductore quodam viro, qui sponte ultroq; non rogatus mihi hanc præstitit operam (ad me ajens: *Camina, camina*, h. e. veni, veni, fugam mihi sic innuebat & suadebat) foras me proripio, ubi demùm post ex via cognita, quæ ad hanc Urbem ducit, quamq; ego decem ante dies calcaveram, hujus urbis jam ante visitatæ certior fiebam.

§. 73. Vix in vallem descenderam, cum ecce! duo mihi occurrunt *Agasones*, quorum alter, ubi celeri me gradu properantem vidisset, quis tu, inquit, es? Tu *fort chertisme Soldat*. Sed verbis animosis dato sibi responso abire me illico finit, minis duntaxat superad-^{13. 14. & 15.}ditis. Adscendo montem, vixq;ve ejus attingo fastigium, ubi en! de-^{periculum}nuò *Venatorum par*, viam, quam tenui, pertransire à dextro latere ^{ab Agasone,}incipit, qui simulac me conspicerent, summam rapiuntur in admira-^{Senatori-}tionem, eadem ferè verba, quæ jam *tribus hac eadem die vicibus au-* ^{bis & Ru-}diveram, repetentes: *Unde tu*, inquiunt, *huc iterum venis? Tu jam se-* ^{stico.}mel hic fuisti, (Et hi erant ex Oppido illo, quo primâ Liberationis meæ die captus, vincus, retractus, detentus moxq; iterum dimissus fueram) Quibus id responsi dabam, *iter Romanum non rectè à quibusdam mihi ostensum fuisse, ideoq; hinc inde hætenus oberranti huc mihi iterum redire contigit, versùs oppidum Sancti Petri (quod mihi à primis illis Rusticis ad fossam decumbenti intimatum fuit) profecturo. Ipsi talibus auditis dant fidem & me missum faciunt. Abiens inde, cum vix mille plùs minus passus progrederer, extremitatem Sylvæ illius, ubi compedes abjeceram, premere incipio, en! rursùs extemplò de medio se proripiens dumeto Rusticus quidam ingenti me invadit clamore edito mox longo factò mei examine, pedum meorum habitudinem contemplatus, hæc verba addebat frequenter sermone Italico: *Niente ferro? Chertisme fugitivo Soldat*. Sic locutus, ubi me omnia negare & pernegare vidisset, non paucis additis minis & comminationibus tandem me abire jussit.*

§. 74. Jam *quintuplici* ejusdem diei superato periculo ipsâ ve-^{16. Pericu-}sperâ *Alvastam* veni, quod oppidum seu villa, vix Capra Cottâ ter-^{lunm ab Ho-}mille abest passibus. Hic in hospitio cubitum cum jam ire debuissem, ^{spite Alva-}accesserat me vir quidam facie asper, torvumq; videns, talia ad me lo-^{stensi.}cutus: *Nulla habes Compania? Nulla respondi. Per che solo camminare?* h. e. Cur solus proficisceris? *Certe vestibus quas habes, (attrectando pallium meum nigrum & tunicam) spoliaberis.*

Erronea

Vagatio ad oppidum Capra Cot-
sa.

y. 75. Postera die pluvioso admodum Caelo, iter meum porro pro-
moveo, interim cadentibus in terram nebulis densissimis *rectâ excedo viâ*
adeò ut parum abfuerit, quin rursus in *oppidum* illud pervenerim, ubi me
prima die Lictores comprehenderant. Sed visis cujusdam *deserte domus*
rueribus in loco huic Civitati proximo, quæ mihi ante, cum hic fuisset,
videre licuerat, à recto me aberrasse tramite, tum animadverti. Hinc a-
nimo valde perturbatus, *varia cogitabam*, potissimum verò id veniebat in
animum, *Magiam denoniacam Italis* maximè esse *in usu*, ne forte ejusdem
fascino mihi hæc omnia obveniant, quò minus his quæam evadere Regio-
nibus.

17. Peric. à
Latronibus
duobus ad
Capra Cot-
sam.

§. 76. Porro cum sic variis immerfus cogitationum fluctibus ob con-
tinuos pluviarum imbres *dictas ad edes* accessissem, reperi ibidem *viros duos*
ad ignem compositum se calefacientes, hos alloquor, de quæ itinere ad op-
pidum S. Petri ducente percontor. Illi risu mea verba excipientes, *tamen,*
tu, inquirunt ad me, *de Sancto Petro huc venis. Falsam* intereà *erroneamq;*
mihî ostendune viam, quæ in proximam vallem Sylvis ac nemoribus tectam
protendebatur, quam si tenuissem, procul in valvam descendendo, certis-
simo me mortis exposuissem periculo. Hanc monstratam viam aliquan-
tis per calcaveram, mox eam relinquo, Latronibus quæ id minimè animad-
vertentibus dextrorsum deflectens priorem semitam, quæ huc errabundus
adveneram, repeto, regrediens quæ, Sole discussis nebulis & pluviam, tandem
Iter Romanum reperio, quo versus S. Petri oppidum profectus, salvis auspi-
ciis quidem sed non ab omni periculo immunis ad *Castellum Sangveri* die
Mensis Maji undecimâ pervenio.

Pericu-
lum à Li-
ctore Ca-
stelli San-
gveri.

§. 77. In hac Urbe stipe ostiatim collectâ, ubi jam hospitium repe-
re debuissem, offenderat me in foro *Lictor Civitatis*, qui factâ mei durâ
examinatione, audito quæ nullum mihi esse testimonium, *fugitivum mili-*
tem me esse asseverans, mox acceptâ manu meâ, secum in quoddam me ab-
ducit *Monasterium*, quod *Dominicani* incolunt, ulterioris *Examini* lin-
gvâ Latinâ [quam Lictor haud intelligere à me potuit] *instituendi* ergo.
Monachi autem auditâ mei excusatione, mox ad Lictorem: *Sine*, inqui-
unt, *ipsum abire. Rex enim Polonorum, ut & noster Hispaniarum raro*
testimonia peregrinantibus exhibere solent.

19. Pericu-
lum in Pas-
su Alpium
ad Oppiam.

§. 78. Sic periculum istud effugiens, tertiâ post die pertingo facto itinere
per *Vallem Regiam*, ad radices Alpium montis Appenini, quæ ex Regno Nea-
politano in ipsam Italiam, in specie verò Campaniam datur transitus. Hic
in oppido, quod *Oppia* cognominatur, cum ob itinerum difficultatem,
necnon pluviarum nive permixtarum continuas tempestates eodem die
ultrâ

ultra progredi haud valuissem, *durum mecum*, veluti in ultimo Regni Neapolitani passu, *Examen instituitur*: Et nisi Examinantium quidam praecipuus caeteris disvalisset, *jamjam in vincula conjici debebam*, qui post hac aliis discedentibus haec talia in aurem mihi insusurrabat: *Amice, jam aliquot milites fugitivi hic in isto passu ad mandatum Pro Regis Hispaniarum, qui residet Neapoli, sunt capti & Neapolim reducti. Si tibi non conniveremus & veluti per transennam non spectaremus, tui miserti, & tu certissimè, tanquam Soldat Alemannus, capereris. Hec dixit, abiit.*

§. 79. Ego autem postera die multum prius per vallem quandam errando superatis tandem *Alpibus nivosis* in Campaniam pervenio versus oppidum *S. Donati* ubi idem ferè periculum, quod Oppiae, me manebat, sed quodam apud Hospitem Virò pro me intercedente, mox dimittebar. Tunc die sequente *Lystram*, quæ Papæ Urbs in Campania munitissima subiacet, Custodibus portarum haud animadvertentibus, ante ejus diei vesperam intro, (unus enim eorum media in porta cum transirem literas quasdam prælegebat caeteris circumstantibus & auscultantibus) eaque perlustratâ mox eodem temporis articulo periculum metuens, exeo & ad *Lucii Castellum*, quod oppidum est proximum ad tertium vel quartum lapidem, me confero, ibi in Xenodochio pernoctaturus. Aderat ex Clericis *Hispaniae* unus ibidem loci quoque hospitans, qui ab Oecono me latino idiomate examinare jussus, *quid prodest*, inquit, *haec sui examinatio cum se Lystra huc advenisse dicit, ubi nemini Peregrinantium, utpote uno & precipuo Campaniae passu, nisi ostensis testimoniis legitimis huc pertransire licet. Literis enim, inquebat porro, destitutus confestim comprehenditur, captivusque tenetur, has ipsum quoque ostendere procul dubio oportebat. Hæc cum audisset hospes, me examine neglecto ulteriori recipit, posteraque die à se dimittit.*

§. 80. Haftenus omni prorsus comite destitutus, solus iter faciebam, vixque una dies præterit, quâ non, recto excedentem | tramite, errare me oportuerit: Sequenti autem tempore, cum Hispaniorum quorundam, Romanum tum temporis ob *Anni Jubilæi solennia* proficiscentium, lateri adhaessem, facto itinere *Lavernio, Ferentia, Vallemontio & Farascariâ*, per Civitates satis munitas verum interdium & noctu patentes, nullis etiam Portarum Excubitoribus adhibitis (id quod ferè per totam Italiam videre est) die undevigesimâ Mensis Maji, quæ erat Dominica, cui nomen *Rogate* seu vocem *Jucunditatis Romam* appuli. Priusquam de Roma aliquid sim dicturus, lubet pauca etiam referre de *duplici periculo* quod expertus eram ad *Vallemontium & Farascariam*. In prioris illius Civitatis diversorio transibat quidam *Paterculus Langnonensis* cum suis Comitibus *Romam* quoque proficiscens, qui simul ac me conspexerat magnâ cum

20. Periculum in oppido S. Donati & Civitate Lystrensi, passu Campaniæ.

22. Periculum ab Oeconomo Castellæ Lucii.

Urbes in Italia interdium & noctu patentes, pleraque Annus Jubilæi.

23. & 24. Periculum à Sacerdote Langnonensi & à Vi-pera.

admiratione hæc ad me proferebat verba: *Quomodo huc venisti? Tu eras bis Langnoni. Tu certè sis Soldat Alemannus.* Me autem id negante mox discessurus, dixit, *Ora pro nobis.* Non procul Farascaria cum in quodam diversorio confedissemus, ecce! *Vipera à parte muri proximi superiore in caput meum, tum apertum, decidens, & abhinc per faciem ad brachia manusq; celeriter repens visa est, nullo damno mihi illato, Comitibus Hispanis multum superinde admirantibus:*

Romanorū
templorum
perlustra-
tio.

Altaria Ro-
mana.

§. 81. Romæ cum jam essem, nullibi examinatus, mox *Templorum Primæriorum* structuras magnificentissimas passim perlustrabam, *Late- ranensis* puta, [ubi per *Sanctam* illam scilicet! *Portam* mihi secundum & imperturbato cum turba ingentis hominum multitudinis pertransire contigit, vociferantibus, passim foris & intrò compluribus Mendicis, verbaq; Psalmorum, 100. ut & 24. *Jubilate Domino omnis terra &c! Aperite portas seculi, ut intret Rex gloria &c.* deblaterantibus) dehinc *Templi S. Maria Majoris*, tunc *S. Petri* (in quo præfatus ille *Sacrificulus Langnonensis* me iterum offenderat, sed præter salutationem nihil ad me dixerat, quàm hæc verba: *Hic jam es?*) & deniq; *D. Pauli* ædem, in quibus templis quot eram intuitus *Altaria*, non ex lignis auro depictis, verum ex *mero Alabastro*, diversi coloris exstructa, tot abominandæ idololatriæ species conspiciebam.

Templa Ro-
ma sine
Suggestibus
& Sedilib.

§. 82. Cæterum quod commiseratione maximâ dignum est, studio licet *pulpita & suggestus*, unde sermo ad populum fieri instituiq; solet, passim investigaverim, ne unicum tamen uti Romæ, sic per totam ferè Italiam, quâ iter faciebam usq; ad ditones Venetarum, mihi videre licuit, eò quod *neglectâ verbi divini prædicatione*, *solis populus studeat Missificationibus.* Hinc nulla etiam *Sedilia* ipsorum in templis videas, mera tantum & sola altaria, quæ adorare solent, imò ex- sculari, præsertim mulierculæ.

Ars mere-
tricia Ro-
ma.

§. 83. Accidit, dum Romæ ad *D. Petri* venissem, ut sub altissimis illis columnis proximè ad ædem ipsam constiterim, ubi *par Sutorum* suas exercebat operas, quorum alter viso quodam prostibulo, eam mox sibi pro future noctis concubitu are conduxit, spectante licet idq; audiente, neq; tamen scelus detestante turba aliquot hominum adstantiū. Visâ hac tantâ abominatione, sequenti mox die, qui lunæ fuit, ubi in *Xenodochio SS. Trinitatis* ab *Oeconomio* ob defectum *Literarum Testimoni- alium*, sine quibus nemo recipitur, repulsam passus fuisset, noctem agere in *diversorio Germanorum* (ubi quoq; à famulo hospitis vexatus eram, qui me fugitivum militem esse asleverare & tantum non prodere volebat) coactus, Roma valedicere constitui, illud distichon animo meo revolvens:

Diversori-
um Roma
Germani-
cum.

*Vivere qui sanctè cupitis, discedite Româ,
Omnia cum liceant, non licet esse pium.*

§. 84. Romanæ igitur viæ legens vestigia versùs *Nerniam* Iter Romanum versus Loretum. & *Terniam* Civitates, quarto post die veni *Spoletum*, peragratis *Fulgino* (ubi *pallium* & *tunicam* victus comparandi gratiâ vendere me oportuit) *Toleto* item, *Macheratis* & *Recanatis*, magnis Italiae Urbibus, *Loretum* appuli, ubi declamatae illius *Mariae Loretanae* visitur simulacrum, & abhinc *Loreto* sequenti mox die *Anconam* Urbem in littore Maris Adriatici sitam pervenio.

§. 85. In hac *Ancona* duo memoratu digna mihi videre licuit. Duo Ancona mirabilia spectacula. *Primum* quidem in *Concione* quadam, à *Jesuita* uno in foro, ubi ferè quinqvies mille hominum conspicerè erat, instituta. *Alterum* verò de quorundam spectaculorum more, super *Peregrinis* in *Xenodochio* patrari solitorum. Fuit quippè in medio fori theatrum extructum, cui dictus *Concionator* insistens verbaq; ad populum faciens, quotiescunq; vel *simulacrum Crucifixi* (cujus ope & auxilio infinitæ miraculorum myriades patratae deprædicabantur) manibus suis sublatum inter concionandum *Spectatoribus ostenderet*, vel *Thraasonicas* inter gesticationes, quas adhibebat, *scuticâ* quadam *tergus* suum flagellaret, Act. 19. 28. toties *ingens subito oriebatur vociferatio clamantium*. *Misericordia, Misericordia!* *Alterum* quod attinet, confluxerant hac eadem die quadraginta plus minùs *Peregrinatorum Romanensium* huc loci, quorum *singuli*, cum jam ad *lectisternia* fuisset eundum, in *atrio* parte *domus anteriori* vestes omnes & *interulam* ad *nuditatem usq;* exuere jussi, sic *nudi ad cubilia* ducebantur. Ego id & quinqve *Hispani*, cum facere renuissemus, *hospitio* mox exclusi, sub *dio* maximo cum vitæ discrimine pernoctavimus.

§. 86. *Anconâ* discedens sex dierum itinere per maris ejusdem Iter Ancona versus Ferrariam susceptum & Viatici procurandi mediū; di- *littora*, *Fano*, *Ruminis*, *Portâ Senaticâ* & *Ravennâ*, quæ *maritimæ* sunt Sinitus ob- *Civitates*, profectus, ad Urbem *ditionis Papalis* ultimam, quæ *Ferraria* est, appuli. Hic jam fame & inedia ferè consumtus & extinctus fuisset, procurandi mediū; di- *deficiente* mihi non modò pane, sed & pecuniâ, Sinitus ob- *nemine* mei misereri volente (id quod accidere solet etiam plerisq; omnibus *Peregrinatoribus Romanensibus*, quorum non paucos febricitantes & variis, laturum. ob defectum victus, morbis correptos imò & enectos passim *Româ* huc *Itali* immiproficienti mihi cernere licuit) quin potius in stipis atqve eleemoly- Sericordes. *næ* flagitatione, hac *Italis* loqvendi formulâ usitatissimâ: *Vad in pac-*

ehe Fraterle, domatim semper & ubiq; repulsam ferente; nisi divina, ut ajunt, virgulâ, intra Ruminos & Senaticam Portam quidam Peregrinatorum ex superiori Austria in Salinis ad Lincium oriundus, Româ jam domum revertens mihi in itinere oblatus fuisset.

Comitis peregrini description.

§. 87. Erat hic Peregrinator teneræ admodum ætatis, simplex imò ipsa simplicitas, multis visus & auditus laborans defectibus, cantus tamen & vocis subtilis modulationis peritus, cui Germanicam occinenti Cantilenam stipemque ostiatim quæritanti, aliquanto magis, quàm mihi vel aliis fortuna favere visa est. Huic ego me adjungo comitem itineris futurum, statucq; meo *dissimulato* (licet is ex multis indicis me Lutheranum esse non rarò conjiceret, præsertim ubi comperisset, me uti nullo *literarum testimonio*, ita nec *schedulâ Absolutionis* præditum esse, unde sæpiùs hæc ejus verba audire mihi licuit: *Tamen multi Lutheranorum Romam venire solent, qui ibi Catholicam fidem amplectuntur*) in colligenda stipe suam *discantem Basso* meo mox adjuvare exornareque satago. Præter omnem nostram spem evenit, ut *Germanici cantus* usi harmoniâ (cecinimus autem cantilenam, cujus hæc sunt initia: *Süßester Jesu meines Herzens begehren / wie lang sol mich nach zc.*) eadem semper oberrantes chordâ, trajectis *Pado Eridano* necnon *Athesi* fluminibus Italiae perquam celebribus, quæquâ per ditiones Venetarum *Paduam* versus proficisceremur, plerisque omnes, quos accessimus, erga nos maxime benevolos Italos reperiebamus, & tantum abest, ut defectum aliquem cibi potusve in posterum senserimus, ut eleemosynæ passim abunde acquisitæ alios sæpè peregrinantes inediâ laborantes participes fecerimus. Nostram etenim *Musica* quasi rarum novitatis exemplum symphonicâ suâ cum suavitates omnes quotquot eam audiebant ubiq; locorum summoperè admirabantur, adeò ut hæc eorum verba non rarò audiverimus: *Cherte bella Musica, bellissima & bonissima Musica*, multa semper puerorum turba circumfusi.

Liberalis cujusdam Itali Commendatio.

§. 88. Adhæc quoniam homo *Liberalis* in Italia rara sit avis in terris, nigroq; simillima cygno, unius me *Patroni* nostræ *Musices* dulcedine capti meminisse oportet, cui nomen erat *Conte Paulo Conte de Casolo Cavalier Paduensis*. Hic in oppido, quod *Episcopana* audit, *Paduâ* domum, ad Castrum suum, quod ei est in villa *Gasola*, se recipiens, ubi nos in plateâ quâdam cantantes audivisset, mox equis suis impositos secum nos abducebat, tum domi suæ lautissime habitos, postquam

quam pedes nostros ipse nobis, licet renuentibus, frigidâ lavisset, posterâ die nos à se dimisit. Tandem nostræ hujus musices beneficio id mihi obtigit beneficii, ut à tergo relictis *Daulo & Mirâ Civitatibus & Palatiis Venetarum elegantissimis splendidissimisqve ad Canales Fluviorum illorum fitis, ipso die SS. & indivisâ Triadi dicato Venetias à Fusinæ portu transnavigaverimus, quas jam ante videndi non parvo tenebamur desiderio.*

§. 89. In hoc *Orbis Emporio* celebratissimo cum idem cantationis nostræ periculum in procuranda stipe fecissemus, tantum nobis *Fortuna* arridere visa est, ut aliquot dierum moras ibi neçtere decreverimus. Sed en periculum in mora! Eiusdem diei *Dominicæ*, quæ *Trinitatis* vulgò audit, factâ vesperâ, postquam cænati fuissetus quodam in diverforio, *Virorum* ibi adstantium nonnemo proximè accedens his me verbis Germanicis, alloquitur: *Deum immortalem! quo pacto huc pervenisti? quibus modis & mediis liberatus es? ubi sunt ceteri? Me autem verba sua quasi minus intellecta silentio dissimulante, nonne, inquit, me nosti, qui tecum nuper Labachii verba permiscuerim?* Nullo & ad hæc responso dato foras me illicò proripio, latebrasq; & diverticula quaritans, unam platearum transeo, ubi ecce! alter in quodam ponticulo mihi ob vius, eadem ferè, ut prior ille, verba ad me idioma te Teutonico, faciens, me detentum habere contendit. Ast ego hujus etiam faciem conspectumqve fugiens mox me eidem subduco, Sodaliquè meo hæc omnia auscultanti & penitus apud se ruminanti, variâ usus auditorum verborum excusatione interpretationevè, iter iidem luce proximè seqvente crastina ulterius suscipiendum, necnon Venetiis illicò valedicendum esse persuasum eo, variis eidem periculis ob oculos positis & recensitis, quippe quibus non raro peregrini homines hic loci moras longiores trahere volentes fiant obnoxii. Dat locum svasionibus.

§. 90. Quare summo mane diei seqventis itineri nos accingimus, ubi autem portum petissemus, à quo ad *Fusinam*, Castellum supra notatumq; in *Continente* positum, rursus erat transnavigandum, non parum terroris nobis incusserat (mihi verò & lacrymas expresserat, hanc eandem sortem meorum nuper concaptivorum dum animo pensitassem meo) *Triga Remigum concatenatorum* (uti vocant,) *Galeoticorum*, qui ferro constricti contiguæ catenæ, pedesq; & brachia nudi, vibicibusq; à percussionibus pleni, ex navi tum descendentes, necnon humeris onera bajulantes, nobis exeuntibus obyii fuere.

XXV. Periculum Venetias à duobus Labachiensibus cognitis.

Ex conspectu trium Remigum Galeoticorum con sternatio.

Venetiis di-
recta Ger-
sius Carnia-
nam profe-
ctio.

§. 91. Venetiis jam relictis, per *Friolorum Provinciam*, quæ *Ve-*
netarum est possessionis, suscepto itinere versus *Mestras, Tervisium, Co-*
siam Carnia-
nam, *Cesiliam, Pordinon, Valvisonum, Codraipum* & denique *Palman-*
Civitates non postremas ejusdem Regionis, quæ antiquitus *Forum*
Julii appellata est, tandem fausto pede die quinta & decimâ Mensis
Junii *Curucium* usque penetravimus, in Urbem *Carniolæ* confiniari-
am, quæ *Cæsari* paret, nemine nos hactenus præpediente aut severius
examinante. *Ostensis enim Pontificalibus suis Literis meus Comes iti-*
neris, non sibi duntaxat sed & mihi viam sternebat ubique locorum pla-
nissimam; qui posteaquam huc loci venissemus, mox ibidem substitit
& me jam solum ultra abire jussit.

26. Pericu-
lum ab Ho-
spite in pas-
su Carin-
thia.

§. 92. Erat hic dies Dominicus, quem secunda post Trinitatis
appellare solemus; *proficiscor* itaque rursus *solus* à Comite derelictus, &
falebrofis illius Regionis finibus peragratis, venio ejus Vesperâ diei ad
altissimi illius *Promontorii Labachium* versus vergentis fastigium, ubi
quoddam *Diversorium* pro Viatoribus in eodem passu *Carinthiæ*
cernitur extructum, immani sylvâ utrinque à latere duo milliaria lon-
gâ existente, neque ullo pago vel casâ proficiscentibus in conspectum
veniente. Hoc ingressus *diversorium Pincernam seu Hospitem* saluto,
eum hospitii non tantum sed & panis venalis mihi porrigendi causâ o-
raturus. At is utrumque denegans multis etiam precibus exoratus,
duriter me suis mox incipit tractare verbis & quid hominis sim, *expisca-*
ri à me satagit.

XXVI. Pe-
riculum ab
Agasone,
qui notus
erat.

§. 93. Hoc adhuc examine durante, supervenit ecce! *Agasonum*
turba, *Labachio Curucium* iter hac facientium, onerum transportan-
dorum gratiâ, quorum ultimus simulac me contuitus erat, admira-
bundus & veluti mentis impos, *Quid tu*, inquit ad me lingvâ Dal-
maticâ seu Croaticâ, *hic agis? Unde nunc venis? Proh Deum! quomodo*
liberatus es? Et hic erat unus ex iis, qui ante Pascha hujus Anni præ-
sentis unâ nobiscum *Labachio Tergestum* profecti, nonnullos Offici-
ales ex nostris Persecutoribus ut & ægrotantes captivos quinque quo-
rum supra mentio facta, equis suis asportabant & me aliâs optimè
jam noverant. Quid autem ego? Instar muti attonitus suorum ver-
borum quasi nihil intelligens, sileo. At is conversus ad Hospitem ibi
proximè adstantem & ejus verba benè observantem, subito jurare &
pejerare, inqviens: *Ita me Deus amet, iste est unus ex illis Pradicantibus,*
qui nuper ex Hungaria Labachium adducti & abhinc *Tergestum ab-*
ducti

ducti in Hispanias amandabantur, quos ego nuper Tergestum usq; comitatus eram. Aspice modo pedes ipsius, qualiter in ocreis crurium compedes gesserit, & res erit in propatulo. Hæc dixit, cæteros Confodales abeuntes secutus, ipse quoq; mox abiit. Hospes mox in summam raptus admirationem confidet sedili suo, & utrùm res hæc ita se habeat, quemadmodum hic refert Agaso, ex me rursus percontari, verbisq; ut fatear, minacibus, me urgere & terrere, tandem per atrium domus vagando, nescio quæ moliri, inchoat. Ego non incautus futuri periculi, ubi is domus conscendisset contignationem superiorem, clam me hinc è vestigio subduco, neq; obstante noctis jam ingruentis difficultate & sylvæ pertranseundæ prolixitate, eodem crepusculo per sylvas & saltus atq; viarum compita illa duo milliaria conficio, ad pagum proximum OberLabachium versus profectus.

§. 94. Seqventi autem die, ante Solis ortum relicto pago, Labachium versus, quæ est Metropolis Carinthiæ, proficiscor, hujusq; Civitatis Suburbium pertransiens, ejusdem viæ, quam tres ante menses calcavimus, repeto vestigia; tunc Savo flumine trajecto trium dierum spatio Carinthiæ plagas ante notas pervagatus ad Celam, ejus Regionis ultimum oppidum, pervenio. Abhinc in oppidum, cui nomen S. Spiritus, profectus, finibus Carinthiæ egredior Styriamq; ingredior ubi posthabitâ viâ, quæ Marpurgo ducit Græcinum, quamq; Captivi ante Pascha tenuimus, per Styriæ confinia Croatiam versus peto Hungariam.

Iter ab OberLabachio versus Styriam.

§. 95. Non postremam autem hic mihi creaverant difficultatem amnes duo navigabiles, quorum alter Dravi, alter verò Muræ nominibus gaudent, qui mihi trajiciendi erant. Urbs est ad Dravi ducti fluminis ripam sita, cognomento Peta, ejus pons viam transeuntibus sternit, stricto semper examine cum peregrinis adhiberi solito. Motus hac rei difficultate animi pendeo, quid factò sit opus? Post longam tandem tergiversationem mane ejusdem diei quorundam Civitatem ingredi volentium lateri adhærens, pontem transeo, & jam portam quoq; transieram, cum ecce! Excubitorum unus me revocat, auditoq; nullis salvi passus literis me esse munitum, retrò, unde veneram, me ire, præcipit, inq;uens: Nobis severè demandatum est, ut omnes salvo conductu carentes, prehendamus, sive sint Clerici sive seculares, unde & tu facile comprehenderis sive militis profugi, sive forte Exploratoris alicujus instar, nisi mox retrocesseris. Di-

XXVII. Periculum in Civitate Styria Peta dicta, à portarum Excubitoribus.

cis te Romam venire, & tamen literis non modo Papalibus, sed & vestitu Peregrinantium destitueris. Profugi milites fere omnes hac eadem nunc utuntur excusatione. Adhuc reponebam voce multum & lingua titubante: Me studiosi instar eas regiones visendi gratiam Romam petiisse, salvo passu etiam praeditum quidem fuisse, verum hunc in reditu alibi amisisse, cum eum non adeo amaverim, eo quod in Italia & aliis in locis id ipsum non tantopere curetur. Tandem multis exorati precibus Excubitores, capto ad invicem consilio me transire per pomeria Civitatis sinunt, additis his verbis: *Imposterum sine passu ne ambulaveris.*

*XXIIIX. Periculum in Raken-
Civitate Raken-
spurg à Vi-
gilibus por-
tarum.* §. 96. Eodem fere modo die proximè sequente circa vesperam in Raken-
spurgi, quod Styriae est propugnaculum & praesidium munitissimum ad Muram fluvium dictum, ubi perinde pons mihi transmittendus erat, mecum agebatur. Ibi enim Portarum vigiles percepto me esse Bibliopagum Labachio in Hungariam revertentem, ubi inquirunt, habes literas passus? Careo iisdem respondi. Tu igitur explorator eris, subnectunt illi, aut profugus miles. Ego negare, & ut fidem mihi habeant, librum quendam nondum compactum, qui Caelum Austriacum ab Autore Champalante Sacerdote Romano inscribitur, quem Tervisii ad Venetias aere comparaveram, ostendere, eumque mihi venalem esse, asserere, tandemque orare & rogare humiliter me, missum faciant. Mala de me suspicionis conceptae plenissimi consulto Magistro Portarum, qui jam ad portas claudendum veniebat, me dimittunt adjectis etiam verbis illis: *Sine passu, imposterum ne ambulaveris.*

*Theodachia
Papistarum
in Styria.* §. 97. Sic admirandae prorsus Dei providentiae protectus clypeo istud quoque evadens periculum, territorium ultimi in Styria Oppidi, Fürstensefeld cognominati calcans, Hungariae appropinquo. Porro peragranti fines Styriae haec mihi observare licuit. Quotidiè fere periculorum exoriebatur tempestas imbrium, quae imminente mox campanas non modo pulsari, sed & tormenta seu machinas bellicas passim in Arcibus explodi audiebam. Ignaro rei hujus percontanti que quo fine talia fiant, num hostis aliquis immineat? Obvii hoc dabant responsi: *Explosiones has fieri pulvere nitrario, in templis ad altaria consecrato, ad dissipandum nubes, quorum multa damna incolae à quinquennio jam acciperunt, adeo ut grandine omnibus terrae frugibus sublatis inque nihilum redactis pane corticum coryli multos se sustentare oporteat.* Hinc Sagas & alios Veneficos, inter quos, & Sacrificuli quidam reperti dicebantur, rogo comburebant.

§. 98. Post varios casus, post tot discrimina rerum, *Rabo amne XXIX. Pda*
 ipsis D. Johanni feriis sacris superato, salvis auspiciis, salvoque, ut ^{riculum in}
 ajunt, pede, licet plantâ ejus non parùm laniatâ, HUNGARIAM ^{Hungaria}
 intro, Patriam meam, longo hætenus variarum *Persecutionum* one- ^{à militibus}
 re pressam & ob id adhucdum afflictissimam, attamen mihi semper ^{ad Hispani-}
 dulcissimam, ubi ipso primo in ingressu [præ gaudio an mœrore nescio!] ^{as quoq; du-}
 multas me lacrymas profundere oportuit. Cæterùm licet me Pa- ^{ctis.}
 tria redivivum gremio exceperit suo, locum tamen tutum præbere
 mihi haud potuit. Parùm enim abfuit, cùm versùs *Nemetuyvari-*
num iter facerem, quin à *Præfecto Germanicæ militiæ*, qui duas secum
 (ad *Hispanias* etiam ni fallor) adducebat cohortes, mihiqve in *Campo*
 ad piscinam quandam factus erat obvius, comprehenderet, ubi me
 ad merendum apud se stipendia verbis multis iisque minacibus ur-
 gere satageret. Me id reluctante nimium à se vexatum tandem
 dimittebat. Hinc quo-fata-cunqve traxere, proficiscebar, & cum
 Regio *Psalte* in terra viventium ita passim occinebam: *Dilexi, quo-* ^{*Psalm. 116.*}
niam exaudiet Dominus vocem meam in deprecationibus meis. Quia
inclinavit aurem suam mihi, & in diebus meis invocabo. Circums-
dederunt me dolores mortis & angustia inferni invenerunt me, angusti-
am & dolorem inveni, & nomen Domini invocabo. Quæso Domine,
erue animam meam. Clemens Dominus & justus & Deus noster mi-
serans. Custodiens simplices Dominus. Attenuatus sum & me ser-
vavit. Revertere anima mea in requiem tuam. Quia Dominus re-
tribuit mihi. Quia eripuisti animam meam à morte, oculum meum
à Lacryma, pedem meum ab expulsionem mei. Ambulabo coram Do-
mino in TERRIS VIVENTIUM. Amen.

§. 99. Coronidis loco hic me annectere oportet relationem de ^{sors reli-}
 Statu & Sorte cæterorum quoque Christi captivorum, qui post nostri ^{q; sorum Ca-}
 4. I. abductionem in Hungariæ carceribus adhuc permanserant, utpo- ^{pti sorum}
 te *Kapuvarini, Sarvarini & Eberhardini*, quid scilicet iis quoque ac- ^{Christi.}
 ciderit? Eodem mense Junio Anni præsentis 1675. cum ego ex Ita-
 talia ad Hungariæ fines appuliffem, illi quoque miseri post longos su-
 os carceres & durissimos labores ex Hungaria Græcinum versùs abdu-
 cebantur, abhinc Venetias propellendi ibique 80. vel 90. Scutatis
 pecorum instar sigillatim venundandi & ad transtra condemnandi.
 Hi omnes atque universi, cùm jam remigandi, proh dolor! molestiis ve-
 xentur & enecenturq; , lugebre illud carmen Jobæum sæpius ingemi-
 nant: *Miseremini nostri, miseremini nostri, tantum vos. Amici no-*
stri, quia manus Domini tetigit Nos. Quæ lamentatio sanè
 sus-

susque deque habenda non est, sed serio ponderanda venit omnibus
 veris *γνητίως* Christianis. Facile enim Deo permittente evenit il-
 lud, quod vulgò dici solet: *Hodie mihi, cras tibi.*

§ 100.

Consignatio Nominum meorum Synath- letarum.

Et quidem primò Eorum, qui partim in itinere partim
 post enecati fati miserè quidem at feliciter juxtaque eorum votum
 concesserunt.

- | | |
|---|--------------------------|
| 1. Michael Gotsch Kalinoviensis. | } August. Conf. Pastores |
| 2. Gregorius Hely seu Illyes Malomsogiensis | |
| 3. Nicolaus Borgiday Transdanubianus | |
| 4. Michael Miscolcy Filekiensis | } Helv. Conf. Ministri |
| 5. Stephanus Sylvasi Kafariensis | |
| 6. Stephanus Fileky N. | |
| 7. Johannes Corodi Ceglediensis | } |
| 8. Michael Paulovicz Rector A. C. Divo - Martinensis. | |

Secundò Eorum, qui ad Triremes condemnati adhuc dum sub
 jugo Hispanico spirant gemuntque.

- | | |
|---|---------------------------|
| 9. Samuel Nikletzius, Uybanensis | } August. Conf. Pastores. |
| 10. Daniel Mazarius Thomasoviensis | |
| 11. Andreas Turocy seu Vieg Filekiensis | |
| 12. Nicolaus Leporini Poltariensis | |
| 13. Balthazar Nikletzius Strihoviensis | |
| 14. Johannes Timkovicz Lestensis | |
| 15. Nicolaus Bagan Gœmerensis | |
| 16. Stephanus Sedeni Transdanubianus | } |

17. Stephanus Seley Superint. Papensis.
18. Johannes Harfani Rimafabatensis.
19. Stephanus Batorkessi Vesprimensis.
20. Petrus Czegledi Levensis.
21. Johannes Szomodi Sendiensis.
22. Georgius Kermendi Barsiensis.
23. Franciscus Otrokocy Rimafecensis.
24. Georgius Alistadi Szeniensis.
25. Michael Hufti Kessiensis
26. Stephanus Szecsei Sugiensis.
27. Andreas Szodoi Sarviensis.
28. Stephanus Komaromi Avenfis.
29. Petrus Kalnai Putnokiensis.
30. Johannes Uyvari Mefokersiensis.
31. Blasius Kepecy N.
32. Andreas Szalocy N.
33. Johannes Jabloncay N.
34. Johannes Krasnay N.
35. M. Thomas Steller Con-Rector Aug. Conf. Neosoliensis.
36. Valentinus Coci Papensis
37. Martinus Szent Peteri Petinensis
38. Petrus Simoni Felediensis
39. Tobias Masnitius Diaconus Illaviensis
40. Joh. Simonides Rector Brisnensis

Helvet. Conf. Ministri

Helv. Conf Rectores

uterq; Aug. Conf.

Quorum duo postremi idem post mei Liberationem eadem die face-
re periculum ausi, in ipsa fuga ad Capra Cottam rursus capti, post sex
autem septimanarum carceres, quos ibidem perpessi sunt, singulari Dei
providentiâ, jam quoque in libertatem asserti esse dicuntur. O Jesu humanæ
assertor salutis, respice jam semel in terram de cælo, & exaudi gemitus,
Captivorum tuorum & libera tandem filios mortis. Amen. Fiat! ô
Jesu, Fiat! A M E N.



APPENDIX.

LITERÆ

LAMENTATORIÆ simul & SUPPLICATORIÆ Ministrorum olim in Hungaria Captivorum, jam ad tristes, proh dolor! Hispaniæ Triremes condemnatorum, Neapoli ad S. R. Imp. REGES Potentissimos, ELECTORES Serenissimos, PRINCIPES & DUCES Celsissimos, COMITES & BARONES Illustrissimos, Ecclesiæ Christi Propugnatores & Assertores pientissimos, perscriptæ Anno Salutis Reparata

1675. die 9. Calend. Sept.

SACRI ROMANI IMPERII
REGES Potentissimi, ELECTORES Serenissimi, PRINCIPES & DUCES Celsissimi, COMITES & BARONES Illustrissimi, omnes Ecclesiæ Christi Propugnatores & Assertores pientissimi

DOMINI,
DOMINI CLEMENTISSIMI, GRATIOSISSIMI

DEi *Gratiam* salutiferam, *Benedictionem* Ejus uberrimam, Corporis & Animæ *Prosperitatem* omnigenam, Vitæ *Longevitatem* desideratissimam, *Administrationem* Regnorum, Principatum, Ducatum & Comitatum dexterissimam, pacatissimam, & quicquid ad hanc conservandam, alteram verò acqvirendam Vitam pertinere videtur, per JESUM CHRISTUM Dominum nostrum, cujus hic vincula gerimus, Vobis sanctè offerimus, cum devotissimis nostris precibus & studiis humilimis. Posteaquam vas Dei electum *S. Paulus à Principibus Sacerdotum Hierosolymitanorum & Senioribus Populi Judaici, ex odio* concepto contra ipsum, *ob doctrinam* de Servatore nostro Jesu Christo, de ejus morte acerbissima, de meritis sufficientissimis, de Resurrectione gloriosissima, quam hinc inde in Civitatibus Judæorum & Gentium palam professus est, non solum multoties (utut sinistrè)

accusa-

accusatus esset, & multas ac graves criminationes, (quas accusatores ejus probare non poterant: Rationem enim reddidit Paulus, se neque in legem Judæorum, neque in Cæsarem quidquam peccasse) objectas audivisset, sed etiam judicia multorum *Locumtenentium* & *Administratorum* Imperatoris Rom. Ethnici, sæpius expertus fuisset, sine omni suo fructu & commodo optato, tandem se periculis quæ impendebant eximere, & vitam incolumem debite conservare volens, *ad summum provocavit Magistratum*; Et *Festo* gratiam Judæis præstare cupienti, respondens dixit: *Ad tribunal Cæsaris sto, ibi me oportet judicari. Judæis non nocui, sicut tu melius nosti; Si verò nocui aut dignum morte aliquid feci, non recuso mori. Si verò nihil est horum, quæ hi accusant me, nemo potest me illis donare, Cæsarem appello.* Act. 25.ii. Similis penè per omnia cum venerando per *Hungariam* utriusque Confessi. tam Augustano Evangelico quàm Helvetico *Ministerio* *Scena* & *Processus* hætenus observata sunt. Principes Sacerdotum, Archiepiscopi, Episcopi, Prælati, Præsules & Seniores populi Romano-Catholici, totum utriusque tam August. Evangelicæ, quàm Helveticæ Confessionis Ministerium cum suis Doctoribus Magistris, Rectoribus, & aliis Collegiorum, Gymnasiorum ac Scholarum Collegis, Studiosis & Mendicantibus discipulis non solum *in suspicionem Complicitatis de Rebellionem* ante aliquot annos à nonnullis Comitibus Hung. Romano Catholicis contra Sacratiss. Suam Maj. excitata traxerunt, sed etiam per Oratorem, Advocatum, & *Fiscum* *Regium ad Jus Posoniense* pro 5. Die Mensis Martii Anni 1674. citari peremptorie, ibidemque accusari acerrimè suspectæ Complicitatis cum Rebellibus & sic Criminis læsæ Maj. curarunt. Hic licet ex longo Catalogo & Regesto proclamati universarum per Hungariam cum August-Evangelicæ tum Helvet. Confessionis Ecclesiarum, Pastores & Scholarum Rectores, cum Collegis, Studiosis & Mendicantibus discipulis invitò nos in litem cum Imperatore Augustissimo & Rege Clementissimo trahi dixerimus, nec unquam nos vel Rebelles vel Rebellium Complices fuisse, multò minus crimen læsæ Majestatis commisisse constanter & sincerè asseveraverimus, coram tamen *Excelsa Extraord. Regia Sede*, (quæ constabat ex *meris Prælati Romanensibus*, & nonnullis Magni quidem Nominis *secularibus* Personis, sed *omnibus Romano-Catholicis*, qui ipsi omnes & *Judices* & *Actores* & *Testes* fuerunt] apparere, multas ac graves causarum *criminationes*, (quas neque per *Testes* neque per *Testimonia* ulla idonea Actor probare potuit) objectas audire, *spacio 4. Septimanarum* (ante & post Festum Paschæ) coram *Judicio* à matutina

8. usque ad vespertinarum non nunquam 4. 5. & 6. horam in frigore maximo, fame & inedia insuper vexatos stare, & denique Sententiam omnibus Gentibus invisam (Comparentes quidem ratione Capitis & Bonorum amittendorum, Non-Comparentes vero, ut pro Proscriptis haberentur, & Bona ipsorum defacto confiscarentur,) sine omni discrimine cum magnis gemitibus & cordolio Die 4. April. audire nos oportuit. Tam profecto horribilis sententia in Infantes (uti Deus Cordium & Renum scrutator novit) lata est, ut mirum non fuisset, si Coelum ruisset, Sol obscuratus & Petra scissae fuissent. Ipse Archi-Episcopus Strigoniensis Georgius Szelepcheni Locumtenens, qui Praeses in Judiciis istis Excelsae Extraord. Sedis extitit, Non omnes Nos fontes & Reos esse (audientibus id ex ore ejus plerisque nostrum) saepius perhibuit, attamen equalem de omnibus sententiam tulit. Consulere igitur & Ecclesiae & universae Patriae & honestissimae fame, & vite propriae ac domesticorum nostrorum commodis volentes, cum nihil humillimae Supplicationes, nihil intercessiones, nihil interpellationes, & Instantiae nostrae apud dictum Archi-Episcopum ante & post latam sententiam pro nostri libera dimissione & absolute factae profuissent, exemplo Apostoli, appellavimus Caesarem Augustissimum & Regem nostrum Clementissimum, postulando superinde ac subinde ab Archiepiscopo & Camera Praeside (qui & svaviter & minaciter quotidiè ante & post Judicium habitum à nobis postulabant nihil aliud quam ad Reversales Subscriptionem) manifestum suae Majestatis Mandatum, ut inde certò perspicere potuisset: An Sacrae Caesar. & Regiae Maj. sit voluntas [uti quidem dicebatur] in toto Regno Hung. hanc Reformationem instituendi, & Ministros Ecclesiarum cum Scholarum Rectoribus eorumque Collegis vel ab officiis suis (si qui in Regno permanere cuperent) suspendendi, vel in Exilium agendi. Cum maxima autem illusionem nostri dicebatur nobis, quotiescunque Mandatum S. C. R. Maj. expetebatur, Indigni habemini Mandato Regio, ut vobis proferatur & ostendatur. Hinc manifestum extitit, quod magis ob Religionem & doctrinam de Jesu Christo sinceram citati fuimus & traducti, quam ob obliquam Rebellionem foedam, cujus ne in minima parte quidem sumus vere convicti, ut patuit ex subsequentibus Judiciorum Actis & factis Praelatorum & Judicum. Hinc verò postquam ad nutum Archi-Episcoporum, Episcoporum, Praelatorum & Abbatum Hungaricorum Reversionalibus omni homine Christiano, nedum Ecclesiae ministro, indignis, & perniciosis (utpote Rebellionis Complicitatem obtrudentibus, officii Sacerdotalis, quo

quo abusi hactenus contra suam Majestatem per easdem dicebatur, spontaneam renuntiationem exigentibus, è Regno Patrio Exitus Voluntarii electionem extorquentibus, Religionis denique mutationem aliâq; infinita incommoda omnimodè secum ferentibus) subscribere, uti nullis vel Testibus vel Testimoniis veris, suspectæ complicitatis multò minus in propriis Conscientiis convicti, reniteremur, & cum læsione Dei & Conscientiæ, cum libertatis Religionis in Hung. labefactatione, cum Proximi offensione & denique cum perpetua Infamia nostræ & nostræ, si quæ futura est, Posteritatis, id nobis persvaderi minimè concederemus, primùm quidem, utpote die 29. Maji Augustano-Evangelicæ Professionis, subsequenti verò die 30. Ejusdem Mensis Helvet. Confessionis Pastores, post 8. demum septimanas à sententia Judicii contra nos lata exactas tandem in vincula coniecti & demum ex *carceribus Posoniensibus*, Arcis & Urbis, per milites educti, beneficio partim Curruum partim Ratum, milite stipati infensissimo & Carnifice, Restibus atq; Compedibus plurimis instructo hinc inde ad Fortalitia abducti, dispersi & durissimos, squalidissimosq; Carceres, in gravissimos *ferri compedes* & in *miserias inexplicabiles* detrudebamur. Equidem si in prænominata perniciofa & plus millies ante & post Judicium prece & pretio miseris obtrusa *Reversalium punèta* cum Dei, proximi & nostræ conscientiæ læsione tantum subscribere (quod tamen Deus Ter. Opt. Max. & Conscientiarum puritas, *ceus grande nefas, fœdum piaculum & indelibilem notam* cavet & amovit usque dum à nobis) ad exemplum nonnullorum *Inconstantium* annuissemus, non modo *mansio* in Terra patria, sed etiam *premiu* nobis pro eo promittebatur. Qui potest judicet rectè, an hoc fuisset rectum? Talis renitentia & justissima *denegatio Subscriptionis* in turpes has *Reversionales* infinita incommoda secum trahentes & portendentes, an vel unius horæ mereatur Captivitatem, judicent cordati. Cæterum privabamur in dictis hisce Patriæ nostræ dulcissimæ carceribus omni penè *escâ & potu*, extra panem durum demensum in singulos dies & aqvam, quorum tamen ad satietatem rarò participes fiebamus. Si aliud quid afferebatur, auferebatur, & de manibus ac ore nostro extrahebatur. Si vero Eleemosyna offerebatur, non concedebatur, sed & offerens & percipiens nimium percutiebatur. Nulli vel *Amicorum* vel *Consortium* vel *Liberiorum* vel cujuscunq; conditionis hominum concessa est cum Captivis Ministris Ecclesiarum *colloqvendi* vel *conversandi* facultas, nisi sub finem exitus & Peregrinationis è Patriâ, & hoc non nisi connivente &

præsente *Jesuita*, vel subordinato alio aliquo. Jesuitis licuit accedere quoties placuit, sed non sine captivorum vituperio & convitiis. Non licuit etiam *pennam in manus sumere*, nedum aliquot lineolas vel ad suos, vel ad Patronos, ne dicam, exteros, chartas sine verberibus gravissimis commendare. Denique ad *labores foetidissimos* (salvis auribus) *Latinarum* & aliorum locorum expurgandorum, *munitionum extruendarum* idem genus, singulis penè diebus *Æstate & Hyeme*, nullo prorsus respectu habito *æstus intentissimi, pluviarum densissimarum, frigorum & tempestatum aliarum sævissimarum*, *Militibus* semper aliquot præsentibus & *verberibus* ad labores propositos & per *Jesuitas* deputatos, miserrimi Pastores captivi pulsi & coacti sumus. Vix *Locus* in Fortalio, *Leopoldopolis* dicto, repertus, quem non *sabulo, arena, lapidibus*, replere & omnes *vias, semitas & Habitationes militum* complanare nos oportuerit. *Nulla, nulla, nulla, inquam, miseriarum forsitan nominari potest*, quam non experirentur miseri Christi Captivi per decursum hujus Captivitatis durissimæ, acerbissimæ, tristissimæ. Pleni eramus *calumniis, convitiis, probris, illusionibus, sputis, Carcer* Captivorum & squalidus & angustus erat. *Verbera* plurima ad *sanguinem* usque creberrimè adhibita sunt, procurante ea, potissimum *Jesuita Nicolao Kellio*. *Tantæ* ibi erant *calamitates*, ut non sit natus, qui eas sufficienter vel concipere, nedum aptè recensere ac describere possit. Neque tamen *finis earum*. Postquam his & infinitis aliis vexationibus & miseriis spontaneam in horrendas illas supra dictas *Reversales Subscriptionem* uti *Jesuitæ*, ita nec alius quisquam apud duos obtinere potuissent, en! elapsis post *decem mensibus* in hac miseriâ jam consumptis, è *Patriæ carceribus ad Galerias Neapolim* in *Italiam*, *compede utrumq; pedem vincti & Milite sævissimo cincti*, in *fame & siti* cum maximis illusionibus, probris, verberibus, despectibus, *detonsione capillorum & barbarum*, quas ante prolixas aluimus, detractioe vestitus Sacerdotalis, abreptione rerum omnium, quæ fortè miseriis adhuc supererant, deducebamur numero 41. Pastores & Scholarum Rectores utriusq; Confessionis, *mortuis duobus*, in itinere, magis præ fame, siti & verberibus, quàm præ suis miseriis & calamitatibus; & 6. jam semi-mortuis (de quibus non constat, an adhuc vivant) relictis in quadam Urbe, *Theatis*, non procul à mari *Adriatico* sita; Tribus autem in itinere fuga elapsis. Cum igitur *Reges Potentissimi, Electores Serenissimi, Principes & Duces Celsissimi, Comites & Barones*

Barones Illustrissimi, cum, in quā, miseriarū levamen à patria terra sperare nobis vix concedatur, multò minus earundem finis obtineri videatur, ob remotionē loci, non solum placuit, sed maxima necessitas compulit, ut *Vestram Misericordiam* requireremus hac humillima, & ut in *Galeria* licuit eam conscribere, charta, miseri propter Christum Captivitatem *Augustane*, quā *Helvetice Confessioni addicti Pastores & Scholarum Rectores* demissè supplicantes, ut nos in *Vestram* curam suscipiatis, pro nobis dimittendis jam tandem libere, retentā *Fide* & bonā *Conscientiā*, apud *Inviictissim. Imperat. Roman. & Regem Hungar. & Boh. Clementissim.* intercedatis, & de exoptatissima nostri *Liberatione* ex captivitate tam dira, dura & immani, (quam in *Galeriis* à 16. *Septimanis* & in *Patria* ab Anno integro sustinemus, fame, siti, ferro, catenis, laborib. & vituperiis ad *admirandam corpusculorum debilitatem redacti*) omnes legitimas occasiones & modos licitos investigetis, Pro ea benevolentia, quā, secundum Divinum Mandatum & promissiones divinas, passim in sacris literis annotatas, completi, ut alios miseros Christianos sic vel maximè *veros pro Christo Exules & Captivos tenemini*. Quare per & propter Dei immortalis *misereticordissima* viscera, *JESU CHRISTI* acerbissima *vulnera*, Spiritus S. gravissima *Mandata & Monita*, Totius SS. Trinitatis *Promissiones* suavissimas, *Charitatem* Christianam ardentissimam & *Ejus debita* multiplicia, oramus *supplices*, ferant Nobis miseris Captivis pro Christo, opem, consilium & solatium. Persequantur *misereticordiam* & benignitatem, ut inveniant vitam, misericordiam & decus. *Benefacere captivis pro Christo est benefacere Christo*. Christus Dominus, omnia sibi appropriat, quæ minimis ejus fiunt. *Thronum* Vestrum sustentabit *Justitia*, *Clementia* & *Misereticordia*. *Memoria* *Vestra* vigebit & florebit, durabit & perennabit ad seram usque *Posteritatem*. Christus Dominus *compensabit* talem benevolentiam in hoc & in futuro seculo copiosissima remuneratione. *Obligabit* & devincietis Vobis etiam Nos miseros Captivos per Christum, ut nunquam vestri immemores simus in nostris *Orationibus*. *Apprecabimur* *Nostris* *Liberatoribus* Dei gratiam, *Benedictionem*, *Sanitatem*, *Pacem*, *Prosperitatem*, diurnam felicemque *Vitam*, faustissimum *Regimen*, & post cum Christo & omnibus *Beatis* *Regni* *cœlestis* *perennia* & *sempiterna* *Gaudia*. Tu autem *Misereticordissime* *Pater*, *cœli* & *terræ* *Deus*, unicum *Captivorum* *Tuorum* *servorum* pro *Tui* *Sanctissimi* *Nominis* gloria, pro

Evangelii Filii Tui JESU CHRISI Domini nostri doctrinae puritate, & Religionis Christianae Evang. veritate, ac sinceritate, tantis miseriis *ex solo hominum odio*, expositorum, solamen, spes, auxilium & levamen *flecte corda Imperatoris, Regum, Electorum, Principum, Ducum, Comitum & Baronum Christianorum ad commiserationem pi- am*, ut ea moti causam nostram in se suscipiant, feliciter promoveant, felicius ei patrocinentur, & felicissime Liberationem nostri, omnium piorum votis haecenus exoptatam, expediant, per JESUM CHRISTUM Dominum nostrum in unitate Spiritus S. Amen. Fiat! ô Cœlestis Pater, Fiat! Amen!

VESTRARUM
*Regiarum Majestatum, Serenissimarum Celsitudinum
Illustrissimarum Dominationum*

*Ex Galeriis ad Neapolim relictis S. Josephi
& S. Januarii, Anno 1675. die 24.
Augusti.*

Cientes humillimi

Exules & Captivi pro Christo Jesu.

olim

Ministri Ecclesiarum & Scholarum
Rectores in Hungaria.

THRE-

THRENODIA FILIALIUM LAMENTORUM,

Non tam Literis quàm Lacrymis
conscripta

&

DILECTO GENITORI SUO

Propter Christum ad Tiresias Damnato inter
singultus cordolii acerbissimos cum fletu &
gemitu dicata

à

CHRISTOPHORO MAZARIO, S.S. Theol.
& Phil. Studioso.

Hoc ergò deerat ad communem! luctus acerbiter, ad
funestam Orci furentis rabiem sedandam, ad æstuantis
Cleri violentiam leniendam, ad publicas privatasque
clades augendas, ut Tuo quoque, Parens desideratissime,
parentaretur sanguine, ut Tu quoque innoxia licet ho-
stia in victimam Præfulum cederes lanienæ. O Te infausto natum sub
fidere Antistitem, cujus decantata pro Aris & Focis pietas, tam tristi
rependitur minervali! O tertiâ lunâ Natum Herculem, cui pro rese-
ctis ense veritatis Hydræ capitibus nova & retrò actis seculis inaudita
oriuntur sine occasu pericula! O fidissima Deo anima, cujus veritas
feritatem Leonum provocat, simplicitas vapulat, innocentia patitur:
dum en! sedibus propriis pulsus, ad Tribunalia violentorum protra-
ctus, sed dum non *subscriberes, pravis Judicium petitis*, inaudita
causâ condemnatus, & ad catastas, ad lenta supplicia immanissimè es
detrusus, ac proscripatus. Erubescere Hiero-Tyrannis, sævos exue vul-
tus crudelitas, parcite ungvibus Leones: Legati Dei, ab iniquitatis
satellitibus, purpuratis Prædonibus, inaudita patiuntur: Legati Dei
(horresco referens) dum, infracti velut Athletæ, nuntium non remit-
tunt Religioni Orthodoxæ, ad mille mortes, easque quotidianas rap-
tantur, Et quod Ethnica non audebat in Christianos priscos feritas, alii

L

ad

ad foedissimos, ac variis infectis horridos detrudebantur carceres, alii ad operas serviles, vel ipsis Mancipiis indignas (pudet certè Christianum illas proferre) cogebantur, omnibus miseriarum procellis jactabantur, fame, nuditate, verberibus, inclementiâ Hyemis, ad ultimum pene Spiritum torquebantur, & tandem ne quid intactum relinqueret mentitus amorem furor Tyrannorum, lymphati militis traditi potestati, pecorum ad instar ferro constricti per tam vastos Regionum tractus, viarumque anfractus ad Triremes, (ô inauditum pro Christo supplicium!) prope mortui, cum Octo ex suis, itineribus & plagis exanimatos, desiderarent, abjiciebantur. Vicistis jam Manlii Pannonici feritate Neronem, Tyrannide Decium, suppliciorum gravitate Commodum, imò antevertistis, quicquid in Decade illa persecutionum, vel lugubre cogitatum, vel barbarè intentatum, vel sacrilegè contra Deum & homines perpetratum: cum illorum ingluvies tandem sanguine Christiano, prodigâ licet liberalitate, effuso, sit satiata: Vos Psyllorum ad instar superstitum cadavera avarè exfugitis, crudelius excarnificatis, & ut vivorum umbræ ac inambulantia sepulchra pro Christo Captivi, graviori supplicio occiderentur, eos sustentatis tollitis, dum ausu nefario servatis miseros. At hoc feliciores Tigride illa verius quam homine Caligula dici meremini, quod cum ille unam Cervicem universo Populo Romano optaret, quo truculento hoc compendio Romam Orbis dominam subverteret; nec tamen obtineret; vos ad jus Delegatû, contra Christum conflatû, ac Ecclesiam Hungaricâ radicibus exterminandâ protractos, nec in minimo convictos nisi quod cõtra Deû & dictamè inculpatae conscientiae Libidini vestrae *non subscriberent*, inclementer vinctos, primùm ad carceres perpetuos, verius Ergastula laboriosa, deinde, ut omnem præcluderetis elabendi occasionem, ad Transtra, omni genere suppliciorum graviora, agmine pleno actos propulsastis: Ex secreto sine dubio Juliani, qui hanc optimam Christianos extirpandi rationem ratus, ut prius Tempia eorum clauderet, vel adimeret, Scholasque tanquam virtutum & doctrinae feminina Hodogedis exueret; ac tandem sacris Gentilium omnes imbueret. Sed & hic vulpe illa callidiores, quod is in Exilium triste Ecclesiae Doctores moverit; vos, ne novas Christo plantarent Colonias exules, constantissimos veritatis Testes, ferro, milite, scopulis, Triremibus conclusistis. Sanè beati illi dicendi hodie veniunt, qui vel olim ad ostracismum damnati, vel ad extremas Thules Insulasque relegati

relegati; imò nec eorum fors deploranda, qui solum pro veritate Religionis vertere iussi: hoc enim ipso, omnem saviarum importunitatem evitarunt. Et rectè sane evitarunt. Sæpius enim boni exulant *Franc. Pe-*
(Abrahamos, Cicerones, Marios, Athanasios intellige) fures imperant. *trarcha de*
Exilium certè non est supplicium (dicente Cicerone) sed perfugium *Remed.*
& portus supplicii. Quid verò Tu, ô Genitor mitissime! quid vos Syn- *Fort.*
athletæ ejus afflictissimi? Nonne tot & tantis laboribus fracti, Cœ-
lum gemitibus impletis, nonne à tanto tempore vigiliis, fame, siti, fœ-
tore, cladibus attriti conciditis? nonne erubescit canities vestra, rude
donari pridem merita? Dicite Senes venerandi, si quis adhuc sensus
doloris vobis est: Nonne gravium militum ad sanguinem usqve vos
urgeant verbera? Vos, hinc labores conficiunt, illinc Cleri aggravant
insultus, jam domesticorum affligunt sortes, nunc catastræ coarctant,
hinc catenæ stringunt, deprimunt compedum pondera, fœtores op-
primunt: Nulla nulla quies & in noctis quiete vobis est, semper suspi-
ratis, quia nunquam respiratis. Sed quid, dum dies adlabitur? Re-
labuntur omnia, & tristem subeunt recidivam miseri, dum ante ad
molas velut asinarias loris agebantur: ubi audire erat clamorem velut
Helciariorum, mutuam effœtorum senum auxilium flagitantium, u-
bi vocalia mutorum ad Cœlum suspiria; ubi labantium sub onere ac
nutantium senum poplites, suffusis nonnisi vidisses oculis, cum alter
alterius infortunia intuebatur, alter, sed in eodem præcipitio deplora-
bat sua, alter chara pignora, hic Conjugum miserandum statum, ille
Ecclesiam laborantem necessitate fataqve postrema qverulabantur.
Quid amplius omnia hic incondito clamore ullulatusqve resona-
bant: ipsi ipsi crudelitatis hujus administri tandem condolecebant, sa-
xa deportata emolliebantur, fusis largiter lachrymis, & ne sacratis tra-
ctarentur manibus, violenter excidebant. Sed quid hâc tempestate
rerum agatur Vobiscum? Nempe, Crux sine luce, dolor sine fine.
Opium Numen respice tam indignum & durum statum Tuorum!
Serva nos perimus. *Quis verò mihi dabit, Parens patientissime,*
ut pro Te his vegetis adhuc lacertis onera bajulasssem, & pondera,
vel, ut hâc vice solum inexplicabilia dictu Triremium subirem di-
scrimina. Certè non ita degenerem me natura formavit Natum,
non ita pietatem in Te meam ejuravi, quin indignum hoc honori
& humeris Tuis onus subirem. Merito laudatur, muta aliqvi

à natura Croesi progenies, quod dum Paternæ cervici ingruentia
militis arma consternata videret, subitus horror vocalem reddidit,
ac amor: Noli, inquit, ferire Regem miles. At si tam lugubre
spectaculum aspicere mihi licuisset, has ego palmas vivaciores ope-
ri admovissem, me me totum pro salute Patris unici devovissem,
immanitati hostium objecissem. Ciconiæ in parentem pietas notior
& potior est, quam ut hic eam persequar, quæ ætate lassos, alis
excipit, & quæ vis humanitatis testatur officia. Utinam verò
indulgentissimum Numen, id mihi conniveret, ut pro tam liberali-
bus in me & studia mea ornamentis, vel nunc dum affectus perorat,
opere testari valerem, scrupulum certè hoc iter pro Te, divinâ ful-
tus ope, lubens calcarem. Si quidem dulcius fertur, quod à plu-
ribus fertur onus. Divisa in plures minus urgent mala. Non
rango verò vulnus, quod & Te Pater optime & nos angit & tan-
git. Quid vitæ & fortunarum Sociâ, quid Parens mea lectissi-
ma? nonne cum abjecta Filiorum turbula (an inter tot Tragica
discrimina, vita Tibi s. persit, an de funestis adversis vel sub Cælo,
vel in Cælo triumphes) cum lamentis quæverula quæveritur? Non est
dolor similis sicut dolor noster. Illa fidem Tuam obtestatur, illa fa-
ta lachrymis eluit Tua, illa viduata omni solatio, suam & pignorum
orbitatem deplorat. O miserator hominum Deus respice propitius
threnos Tuorum, audi, vide & vindica lamentantium gemitus, con-
verte favoris vultum, post tot furores hostium: restitue clementer,
abreptum violenter, Filiis Patrem, sine quo orphani, inopes, mar-
cescimus: Ecclesiæ Pastorem, sine quo Harpyis exposita misere con-
ficitur; domesticis Patremfamilias, pro quo lugubres suspirant.
O Ultor & Assertor maxime Deus! solve Captivitatem Tuorum, &
omnium sortes lætioribus tandem aliquando tempera. Jam certè
duplicantur lateres, veniat exoptatus Moyses: deficit auxilium hu-
manum, affulgeat optatissimè divinum, & vastitatem, solitudinem
hereditatis Tuæ, dextera Excelsi immutet, reparet. Ad Te jam Pa-
ter adversis inconcussa, singultiens & lamentis plena, decurrit oratio,
Tibi succurrere, Tibi lachrymas abstergere, & fluentis oculorum
meorum horridum cicatricibus & squallidum corpus mundare (si ta-
men Terra & Mari disitus ad Te pertingere possim) Te Anchisem
meum

meum ex hoc incendio plusquam Trojano Æneas pius educere, & ex vastis Oecani gurgitibus, ex tot scopulis ac firribus ad portum Bonæ Spei provehere adnititur. Te siquidē & quos Tibi eadem fortunā & *constātia gloria* sociavit Amicos, Te, inquam, in hoc Gymnasium patientiæ, officinam Tribulationis, Academiam Crucis, in qua per omnes ætates, per omnia Secula, ab incunabulis Ecclesiæ, ad sanguinis usque diluvia, Christi desudarunt genuini Auditores: Te summus Arbitrer rerum Statorque, conveniente oculo, tanquam æternitatis decreto, tantæ Crucis certissimum Candidatum locavit, ut nempe animum inter fortunæ turbines immotum, inter circumfremens hostium tela infractum, ad ferocis militis verbera sibi semper similem, non secus ac obryzum igne, metallum Lydio lapide comprobaret. Videlicet: Teruntur suave olentia aromata, ut majorem de se promant fragrantiam, & rerum pulcherrima ne lateant attolluntur, ne rubigine fœdentur, expoliuntur. Sane mens in solido fundata, & bene sibi conscia, ad omnem jactum humeros habet inexpugnabiles: super impone quantum libet, damni, infamiæ, minarum, & supplicii, nullo fasce curvabitur, non vanis terriculamentis movebitur, Cœlesti vel maxime imperterrita subsistet auxilio.

Francis.
Petr. Lib.
2. Dial.
66.

Hic igitur animis opus est hic pectore firmo.

Ludentem certè & placide flantem, quivis vel de fece vulgi, scit trahere fortunā; at cum illa faciem mutat & exasperat, cum procellas ac persecutionū longe lateque exonerat tempestates, hanc non nisi emeriti & canā prudentiā graves [*utinam omnes & singuli*] norunt moderari Duces. Agite igitur sequacissimi Crucis Dominicæ Præcones, & porro, quem pro Cathedris hæctenus Populo Dei insinuastis callem, sequimini: Non vos vel suppliciorum gravitas, vel amor insanus Seculi, vel indigna Brabeutis Christi pusillanimitas, vel ad *subscribendum* Antesignanorum aliquorum pronitas, dimoveat, à tam divinissimo, pro Jesu pati, proposito. Nemo, certè nemo, separabit vos à Charitate Christi. Ante omnia vero memori mente recoqvite, illud quod Theologum quemque maximè ornat, commendat, ac perficit: Orationem, ut armamentarium Ecclesiæ, & præsidium turissimum, nobiscum sequimini: Meditationem, quæ Cœlestibus infixi, æternaturisque, præsentem accerbitatem, futura gloria temperant fideles, sequimini: Tentationem tandem, sub qua desudatis spe optima accensi, tanquam Religionis sanctissimæ individuum Comitum, & masculorum Doctorum, à mollibus sequestram & tesseram patienter sequimini. Tandem *patientia vincet sperando:*

Tandem bona causa triumphat! Superanda omnis fortuna ferendo est.

Durum, sed levius fit patientiâ,

Quicquid corrigere est nefas.

Job. 5. 17. Nam qui cum Christo patiuntur, una cum eo conglorificabuntur. Pleni certè sunt libri, plenæ sapientum voces, plenæ sacrarum pandectarum pagellæ, quæ uno quasi ore vobis acclamant, vos erigunt: Beatus qui corripitur à Domino. Taceo sanctissimorum & clarissimorum Virorum exempla; prætereo Abrahama extorres, Jobos, querulos, Danieles cum Gente universa sua peregrino sub jugo ingemiscientes. Sed quid Apostolos, felices illos Paganismi Triumphatores prætermitto? quorum universi, si Johannem eximas, professionem suam morte purpurarunt, coronarunt: Dies vero & charta me deficeret, si vel priscae Ecclesiae Martyres, vel recentem Inquisitionem Hispanicam, aut Albani truculentiam, vel ferales Parisiensium Thedas, vel sexcentas alias factiosi Cleri Romani datas turbas enarrare vellem. Illas subiit Augustissima purioris Religionis Mater Germania, dolet Bohemia, & quia fatales sunt Regnorum periodi, nec uni alligatur loco cultus Dei, jam perpetitur, in agone posita Pannonia. Sed! Durate ô piæ animæ, & vosmet porro rebus servate secundis. Vivit adhuc Deus & in medio hostium regnat potenter. Necdum Dextera Domini est abbreviata, quæ suum Jonam ex medio gurgite, Danielem ex fovea Leonum, Petrum ex conclamato carcere, eruere, Salvum educere, provehere potuit. Et si quosdam insolentia ac furor hostium terrenis exemit, ut vos pariter Stephanum pleni fide seqvi, ac sic per vicissitudinem hanc optatam, ex vinculis erui debeatis: Beati estis. Sic catenis vincti de devictis hostibus, coram Deo æternum liberi ovabitis. Tu verò vitæ melior portio præsidiumque meæ, Parens desiderate, quem fors acerba divisit, conjunxit verò mihi dolor interminatus, vive sub tutamine & solatio supremi, in quotidianis mortibus, nostro porrò & Ecclesiae futuro commodo. Vale & Redi. Tecum vivere, tecum mori fideratus desiderat Filius!

Interea (ut verè hic meas faciam Bornascii in Amphitheatro falsas lacrymas) tacebo ego vos ultimum nihil amplius dolituræ Pannoniæ innocuum piamentum. Sæviant magna ingenia, quorum acrior semper vis, quò fortuna clarior. Nullus mihi vestri sanguinis vestigia dies exeret, nullus cursus recursusque temporum, nullus livor edax.

Majus ab Exilio nomen in Orbe venit,
 Totaqve in hæc vota mea ibit Patria
 Spirantesqve crocos, & in urna perpetuus Ver.
 Et proluant licet flumina, non delebunt, Devehant in Oceanum,
 patentior erit area famæ & immortalitati
 MARTYRUM HUNGARICORUM.

F I N I S.

ERRATA,

*Q*ua absente Autore per Typographi incuriam huic scripto irrepsere, Benevolus Lector, benevola mente promptaq; manu corriget, lecturus: In Prefat. pag. 7. lin. 11. in mundi theatro. Pag. 11. lin. 31. Rasorum. p. 15. lin. 28. Szelepcheni. pag. 20. lin. ult. consuetudinem) octo. pag. 21. lin. ult. leg. Nikletio. pag. 22. lin. 1. Losoncensi, pag. 24. lin. 24. prætendebatur pag. 25. lin. 26. Czussy, pag. 27. lin. 17. Torvum, pag. 28. lin. 20. Tonitruibus. pag. 29. l. antep. leg. consternabantur, p. 30. S. 28. l. 5. Gutam. & lin. 13. panticibus. & lin. 23. herbam porreximus. pag. 31. S. 31. lin. 7. leg. Discrimen. pag. 32. lin. 21. leg. quia juxta. pag. 33. S. 33. lin. 9. leg. secum a port. pag. 34. lin. 15. aquã cum oleo bajulans. pag. 34. S. 34. lin. 13. leg. semper Eam ad id. pag. 3. lin. 6. Bathory. & lin. 21. sodes magis. ib. S. 25. lin. 2. Michalek erat. pag. 36. lin. 3. Sutorculo, & lin. 20. Affectum vellet. Ibid. S. 36. lin. 2. Ex oppido. pag. 4. S. 2. lin. 2. bini quiq; & lin. 11. Incendebatur. pag. 41. S. 45. lin. 7. rupes nihil aliud. pag. 42. S. 46. lin. 3. Adriatici clara. pag. 44. lin. 8. neque egrediendã ad auras, neq; & c. pag. 44. S. 49. lin. 9. appulimus ad portum.

